



Enarrationes nouae D. Martini Lutheri in Ionam prophetam,

<https://hdl.handle.net/1874/424057>

ENARRA

TIONES NOVAE D. MARTINI

Lutheri in Ionam Prophetam, e Germanico,
Latine per Iustum Ionam redacta
ditae, ac Reuerend. Argentinen-
si Episcopo dicatae.

ADDITA EST ET SANA LVTHERI

exhortatio, qua perstringuntur hi, qui negle-
cta doctrina Fidei, & articulo summa-
mo iustificationis &c. nouis
& impijs dogmatibus
tantum turbant
Ecclesias.

ANNO. M. D. XXX.

ENARRA

TOMI NOVI D. MARTINI

Epistolam in laudem Proprietatis, dicitur
non, sed in laudem laudatorem
dicitur, et in laudem Argumentum
si epistola dicitur.

ADGITA EST ET SANA CVTIBILI

Epistola, que dicitur in laudem
dicitur, et in laudem laudatorem
dicitur, et in laudem Argumentum
si epistola dicitur.

ANNO M. D. XXX.

REVEREN

DISSIMO DOMINO, D. GVILHEL

MO EPISCOPO ARGENTI

nensi, Principi Alsatiæ, Domino cle

mentissimo, Iustus Ionas

Gratiã & Pacem Dei

in Christo.



N HISTORIA M

hanc & prophetiam Iona

næ, Reueren. Domine si

carnalis aliquis incidat le

ctor, poëma potius dixerit

quàm historiam. Hinc &

Lucianus plerãq; talia ri

det, quemadmodum & ipsam resurrectionem mor-
tuorum (cuius Ionas typum gerit) mundi sapien-
tes & philosophi explodunt, habentiq; pro fabula.
Sic & in historia Abrahã, quòd centenarius, genue-
rit filium, prima fronte nihil magni, nihil grauium
rerum uidetur docere, & casu accidisse, ut senex feli-
citer operam liberis dederit, & ex anu sustulerit fi-
lium. At cum hinc tam in speciem, inani & nude hi-
storiæ suus cõtingit artifex Apostolus Rom. 4. ibi pri-
mum apparet, non ieiunam aut exuicam narratio-
nem esse historiã Abrahami: sed eiusmodi clausam

ibi latere sapientiam, & maximarum rerum cogni-
 tionem, prae qua tota mundi philosophia & sapien-
 tia stultitia sit: ibi primum argumenta illa, quae alius
 lector ne suspicari quidem potuisset: ibi abstrusa la-
 tuisse, ueluti ex thesauro diuitis patris familias depro-
 muntur in tempore, quibus penè solis, Paulus in hac
 egregia epistola ad Romanos, non dubitat totam re-
 ligionis causam, contra omnem Iudaeorum, iuxta ac
 Graecorum sapientiam non modo munire: sed ut fir-
 missimis fundamentis inaedificare, & superstruere.
 Si igitur quòd in Abrahami historia fecit, Paulus idè
 fecisset in explicanda Ionæ historia, cuiusmodi putas
 de maximis rebus pietatis, de pauoribus percussæ et
 perterritæ cōscientiæ, de luctu fidei, de agone illo ex-
 tremo, in quo ægre uel sanctissimi perdurant, Pauli
 calamo, haberemus depictum Ionam. Nunc uero non
 Paulus, non Petrus, aut aliquis ex Prophetis, sed
 Christus ipse ostendit nobis quid ex historia Ionæ di-
 scere, aut fructus boni percipere possimus. Christus
 ipse, uocationem illã, & dona ac spiritum Ionæ ma-
 gnifice prædicat, cum inquit, Surgēt Niniuitæ in iu-
 dicio cum generatione hac, & condemnabunt eam,
 qui pœnitentiam egerunt, ad prædicationem Ionæ
 prophete. Tanquàm insigne opus dei Lucas in actis
 describit quòd ad unam contionem Petri crediderint
 tria millia. At hic Christus Niniuitas dicit credidisse
ad

ad prædicationem Ionæ, hoc est, ipsum regem potentissimum tunc orbis monarcham, tot principes & magnates, & maximam illam multitudinem, in tam ampla & populosa urbe. Maximum omnino robur spiritus in hoc propheta fuit, qui ex humili & demisso, pauido & fugituo, sic repente factus est alacer & erectus. Sic cõtra totum mundum & omnes inferi portas euasit inuictus, ut nulli postea terrores tam horribiles incidere potuerint, quibus hic propheta submiserit animum. Hoc est nimirum quod Paulus ad Corinthios dicit, Cum infirmior, tunc robustus sum, & uirtus in infirmitate perficitur. Hæc est nimirum illa uictrix, Resurrectionis Christi potentia, cuius iam tum Ionas non modo typum gessit, sed uim & energiam post tantam mortis acerbitatem expertus est. Ideo Christus prophetarum Dominus, quamuis Hieremias 40. annis in populo Israel magna cõstantia prædicarit. Esaias etiam & alij suæ cursum, frementibus contra principibus & potentibus mundi, gnauiter absoluerint, tamen hunc Prophetam Ionam præ cæteris insigni ornauit præconio. Deinde & hic propheta Ionas proponit nobis tam egregium fidei exemplum, ut in tota scriptura, cum Veteris tum Noui testamenti, non facile excellentius inuenias. Vix enim ullum extat alibi exemplum, ubi agonem illum, & acerrimam illam lus

EPISTOLA NVN-

Etiam, laborantis, decertantisq; fidei descriptam uideas
 expressius. Proinde, & Christus ipse, Ionam, sue
 mortis & resurrectionis typum esse adfirmat, cum
 inquit: Quemadmodum Ionas tribus diebus, & tri-
 bus noctibus fuit in uentre ceti: ita filius hominis, tri-
 bus diebus & tribus noctibus erit in corde terre.
 Maxima autem piorum sapientia est, mortis & re-
 surrectionis Christi cognitio: eam sibi unam præ om-
 ni sapientia, præ tota iustitia legis, optat uberè con-
 tingere Paulus, adfirmans, tam esse excelsam & sub-
 limem, ut in hac uita, etiam sanctissimis, ibi semper
 aliquid relinquatur in quod proficiat. Sic enim ad
 Philippen. Non quòd apprehenderim, inquit, sed ad-
 nitor &c. Hanc igitur summam sapientiam, hanc Christi
 cognitionem, in hac Ionæ historia, uelut quadam in-
 signi pictura, proponere uoluit nobis spiritus san-
 ctus. Eam picturam intueri subinde, & ob oculos ha-
 bere debemus, quicumq; inenarrabili dono Dei ad
 hunc gradum summæ sapientiæ peruenimus, ut omni
 cognitione, omniq; scientia ditati, sciamus quætus the-
 saurus sit, quàm excellens & solida beatitudo, boni-
 tatem & presentiam Dei cernere, ac sentire auxiliū.
 Sunt enim quidam hoc seculo mathematici, planè ΤΕΤΡ
 φωλυτοι, qui cum sibi uideatur πνευματος, &
 subinde noua dogmata spargant in uulgus; tamē
 in minimis habent hanc fidei & remissionis pecca-
 torum

torum doctrinam: & cum in omnibus alijs magnifice & fortiter theologentur, tantum huius articuli qui uniuersae pietatis caput est & summa, sunt insigniter rudes. Cum igitur etiã hoc tempore, quo praesuperioris seculi inopia, abundamus praecceptoribus & libris: cum in sacris, tum etiã alijs literis, tanta sit ignorantia illius summi articuli, nempe cognitionis Christi, etiã in his qui quotidie novos libros consarcinant, & soli religionis magistri haberi uolunt: ut pro uirili iuuarem eos qui sanctae doctrinae ex animo afficiuntur, hunc commentarium germanicum Latine uerti: quod quanto de Christo & fide differat dexterius & sanius, quam hi qui nunc sua somnia de Eucharistia, uerbosis libris obtrudunt orbi, facile iudicabunt uere pij & spirituales lectores. Illas autem in tonam Prophetam enarrationes, à Luthero primum germanice conscriptas, Latine nunc redditas, T.P.R. inscribendas esse duxi. Cum enim praes omnibus Germaniae Episcopis, nomen tuum, praeclearis illis tuis uirtutibus feceris toto imperio celebre, & non modo apud Caes. M. & summos principes magna polleas auctoritate: sed & à plerisque non inruditis hominibus ab excellentia ingenij, singulari prudentia, & non mediocri doctrina laudatus sis: libenter tibi tali principi, specimen eius doctrinae, in qua uersor, & quam probo, dedi: sperans fore, ut

Episcoporum
officium.

eum ipse ames literas & honesta studia, correctius
 sis inter pia & impia scripta iudicaturus. Projiciunt
 quidam & contemnunt tantum, etiam libros uere
 pios: quis autem uel sutor non consputare, non proj
 cere potest libros etiam optimos. At Episcoporum
 officium est primū cognoscere, deinde pronunciare.
 Non uersor ego in tali genere doctrine, de quo gra
 uer, omnibus publice et priuatim reddere rationem:
 neq; pudet me Euāgelij Christi. Noui explosum esse
 iam olim nomen illius doctrine apud plerosq; Epi
 scopos, qui ferro & igni hoc persequuntur. At lon
 ge alio theatro spectabuntur hi, qui nunc ut hereti
 ci & blasphemii damnantur, cum Christus aliquan
 do de caelo uenerit, uiuos iudicaturus & mortuos.
 Doctrinam, quā his nouissimis temporibus mundus
 mauult appellare Lutheranam quā Christianam,
 sincerissimum Dei Verbum esse nihil dubium est.
 Quid enim aliud docet quā Fidem, charitatem, to
 lerantiam crucis, cognitionem uoluntatis Dei. Eam
 uere pietatis doctrinā, in scholis prorsus neglectam
 & ignoratam fuisse, nemo inficiari potest: adeo, ut
 etiam quidā Theologiae discipuli, de nullis alijs Euan
 gelij, quā quæ sub Dominicas in tēplis recitaban
 tur, scierint. Hinc ille blasphemæ uoces passim inter
 illos audiebatur, Bibliam librum esse hereticorum.
 Hinc Magistri Nostri, & qui titulum theologi iacta
 bant

bant, studia linguarum damnabant, quas Rom. Pontifex in suis Canonibus prælegi præcipit in scholis. Quid illi nunc dextere aut feliciter traderet pro contione in templis, qui ne mediocrem quidem cognitionem habebant literarum sacrarum, & sic omnis scripturæ imperiti & rudes erant, ut quoties uel unus uersiculus eis ex Psalmis, Prophetis tractandus esset, subito se in alium mundum translatos arbitrentur. Quid illi ædificarent in Ecclesia, qui eos ipsos Psalmos, qui latine extabant, minus intelligebant, quam ego linguam Gallicam. Quorum plerique per omnem uitam, cum essent sexagenarij, nunquam attigerant, nunquam à primo limine salutarant bibliam. Plerique theologiæ professores, & Magistri Nostri, nondum bibliam uiderant. Quemadmodum nota est de quodam eius farinae theologo, uulgata fabula, qui Pentateuchum, bestiam quinque capitum & animal esse putauit. Vidit eam cæcitatem & inauditum stuporem. Keiser Spargius in ecclesia Argentinensi uir summus, & in suis concionibus grauissime perstrinxit. Videt etiam opinor, prudens Lector, cuiusmodi theologorum monstra, hic proferre possem, si uelim ordine explicare, quam stulte, quam infeliciter iam aliquot annis Monachi theologicati sint: in primis Minoritæ, quorum uanitas & stoliditas in prouerbiū abiit, Minorita uanior. Sepulta igitur, & quasi ruderibus

Keiser Spargius, uir summæ doctrinæ

EPISTOLA NVN=

obruta, iacuit doctrina Christiana, partim illis rixosis
 disputationibus scholarum, traditionibus Pontificum,
 & infinitis ac stultissimis somnijs monachorum.
 Notæ sunt scholarum disputationes, quid Thomas,
 quid cæteri contulerint vobis, immo quid im-
 ditos tenuerint ad cognoscendum Christum. Et qui
 Pontificum traditiones legunt ac decretales, vident
 quantus ibi numerus sit constitutionum ineptissimarum,
 quæ cum doctrina Christiana ex diametro pugnant:
 quoties enim scripturæ locos citant, tam citant
 inepte, tam tractant frigide, ut nemo pius sine
 nausea legere possit. In tam immani & grandi libro
 Decretalium, nō est una pagina, quæ aliquid de
 pura doctrina pietatis, de uero ministerio Verbi con-
 seruando, de Christo aliquid tolerabiliter dicat. De
 præbendis, de dignitatibus, de immunitate Ecclesiarum,
 de libertate Romanæ ecclesiæ, diplomata longissima
 uideas. In his rebus defendendis gnauiter ad-
 uigilatum est à Romanis pontificibus, in alijs non
 item. Monachi uero, ut est genus hominum, ad im-
 posturam & hypocrisin natum, quid illi non inuexerunt
 nugarum in mundum? Cum enim nundinatione missarum
 & indulgentiarum, tot annis dementatos tenuissent
 principes & reges: iamq; sic constitutam & constabi-
 litam uiderent suam dominationem, & tot iam penè
 in orbe reges esse, quot monachos,

præ

Pre nimia securitate: palam omnia coeperunt, quouis
 iure, qua iniuria, ad suum dirigere questum, & idolo
 suo, deo uentri posthabere omnia. Solet enim Satan
 per suos pseudapostolos, quando Verbum Dei oppo-
 situm non uidet, humano generi per meram impro-
 bitatem illudere. Hinc eò tandem prorupit monacho-
 rum audacia, ut pro sua libidine, scelerate & impu-
 denter, quibuscunq; uellent rebus, tribuerent diuini
 tatem, & uim delendorum peccatorum. Pronuncia-
 bantur ergo iusti & sancti, non modo qui fratribus
 & sancto ordini farinas largiter subministrabant:
 sed & qui summo digitulo, orbiculos quosdam lig-
 neos, quos fratres in refectorio affixos tanuæ habe-
 bant, attigerat, remissionem dicebatur accepisse pec-
 catorum. Immane, quàm multas alias ridiculas in-
 eptias monachi excogitarint, & tamen nunq̃ tam
 stulta proposuerunt, quin suos inueniret discipulos.
 Ridentur religiones stultæ Aegyptiorum & aliarum
 gentium, quæ crassiores homines pro dijs habuerunt,
 quòd statura alijs antecellerent. Item qui Simias &
 similes quadrupedes &c. pro nūinibus coluerunt. At
 monachi eò tandem deueniunt blasphemie, ut illum
 suum sordidissimum cucullum, quo nemo stabularius
 dignaretur suum asinum tergere, tam sanctum ha-
 buerint, ut qui eum uel mortuus obuolutus esset, illum
 ab æterna morte redemptum pronuntiarent. Hinc

EPISTOLA NVN.

& pleriq; lenones, grassatores & prædones publi-
 ci, cum totã suam atate scelerate & perditè transe-
 gissent, tandem ab illis apostolis persuasi, nihil de
 Christo, nihil de Euangelio solliciti: sic cadauera sua
 cucullo induta, sepeltri curarunt in sordidis & im-
 puris Minoritarum pãnis, eam salutem quærentes,
 miseri, quæ in solo Christo quærenda erat. Quæ pu-
 tas uehementia Paulus eiusmodi blasphemias, erat in-
 sectaturus, si uidisset, qui suam ipsius uitã antea, &
 totum pharisaismum, ad quem monastice com-
 parata, ociosum & impurum uitæ genus est, præ u-
 stitia Christi pro stercore habet & ruderibus, qui to-
 tam philosophiam, & omnes illas egregias uirtutes,
 quæ omnino sapientibus & optimis ac honestissimis
 uiris inesse possunt mendica et infirma elemëta mun-
 di uocat. Quomodo autem hoc unquam futurum su-
 spicari potuerunt Prophete et Apostoli, eò redigen-
 dam esse nouissimis temporibus, Christi Ecclesiam,
 ut hi qui summi & perfectissimi uellent haberi inter
 Christianos, qui soli præ omnibus ordinibus iacta-
 rent se Euangelij professores, iustitiam & salutem si-
 tam esse ducerent in detrita ueste, quam uel uirissi-
 mus seruulus conspueret. Taceo hic quid ecclesie
 Cathedrales & Collegiate pro Christo coluerint.
 Contiones Keisersbergi, qui Argentiuensis ecclesie
 Ecclesiastes fuit, testantur, quod uir ille optimus in
 moribus

Contiones

Keisersbergij

moribus, & tota hac conuersatione Canonicorum
 desyderant. Sunt aliqui inuenti, etiam inter Canoni-
 cos bona mente homines, qui ipsi fatebantur se mag-
 na uidere uita in Romana ecclesia, in monachis, in
 toto ut ipsi uocabant Clero, & illum statum rerum
 non diu duraturum esse. Deinde, qui è Roma redi-
 bant in Germaniam Curtisani, ipsi fatebantur, ma-
 gnum cõtemptum religionis esse in Romana curia:
 proceres ecclesie non facere suum officium, omnes
 degenerasse ad cupiditates glorie & mundanarum
 opum, & iam tum prophetabant, totum clerum ali-
 quando graues pœnas tantæ impietatis daturum.
 Adhæc, conquerebantur multi boni uiri, se nõ uide-
 re apud quos iam esset Euangelium & doctrina de
 Christo, & ueteris ecclesie sinceritas: apud Theo-
 logos enim non esse, qui redacti essent ad logoma-
 chias & rixandi studium. Apud Canonicos non esse
 qui ociosi luxu diffuerent, & nihil omnino attinge-
 rent literarum. Apud Monachos non esse, qui uen-
 tris studio tenerentur, & docerent propter quæstum
 sua somnia ac inanes fabulas. Illas uoces memini me
 puero, in colloquijs bonorum iactatas esse. Qui ue-
 ro paulo saniores & cordatiores erant inter princi-
 pes, ut ipsi uocabant seculares, uidentes maximam
 illam corruptelam, doctrinae, & morum in Clero, in-
 cas iam tum apud se mussabant, quod iam non disti-

EPISTOLA NVN=

inulenter quidam proloquuntur. Grauis iam ubiq;
 auditur querela temporum, quasi per Lutheri doctri-
 nam abolitæ sint multæ ceremoniæ, omnes illi cultus
 dissipati in Ecclesijs: grauioribus tunc fuissent, si li-
 cisset prodere gemitus et occulta suspiria cordium,
 ubi nemo bonus non uehementer dolebat, sublatam
 & extinctam esse doctrinam Christi, & non modo
 sublatam, sed pro Christo, cucullum Minoritarum ri-
 diculas nugas, & mera somnia prædicari. Hoc no-
 stro seculo autem, quotquot sunt bonæ conscientiæ,
 ex animo gaudent, hanc doctrinam puram Euange-
 lij, sic dono inenarrabili Dei productam feliciter in
 lucem, & quasi diuinitus renatã, ut rursus sciri pos-
 sit quæ uera uita sit consequendi æternam salutem,
 quæ uera Dei cognitio, quid per Christum acceperi-
 mus, unde in tentationibus peccati, in agone & ter-
 roribus mortis, animi firmam satis & solidam pos-
 sint habere cõsolationem: traditur enim sincere iam
 doctrina fidei, in qua tota summa sita est pietatis.
 Adhæc, cognoscitur per Euangelium, quæ ut æ ge-
 nera Deo placeãt: Quo honore affici debeant magi-
 stratus, quid sentiendum sit, de legibus & ordinatio-
 nibus politicis. Hæc non ita multos annos prorsus
 ignorabantur in omnibus templis: in omnibus sug-
 gestis citius ebuccinabatur nomen Barbaræ, S. Anto-
 nij, & simulum duorum, quàm Christi. Franciscus
 solus

Solus apud minoritas excelsior cælo erat. Quæ uitæ
 genera pia & Christiana essent, ignorabatur. Nam
 coniugati, deinde reges, principes, & qui Reipub-
 licæ præerant, iure consulti, milites, reliqui qui potestati
 inserviunt, præ Episcopis & monachis, seculares
 & mundani uocabantur, & in statu putabatur esse
 damnationis. Quicquid non ex fide est, inquit Pau-
 lus, peccatum est. Cuiusmodi igitur diluuium putas pec-
 catorum, iacebant obruti atque submersi magistratus,
 equites, milites, qui nihil minus credebant quam suum
 uitæ genus institutum esse à Deo, aut probari deo: qui
 solos monachos sanctos, se uero prophanos & secu-
 lares esse putantes: nihilominus, sine fide redarguen-
 te intus conscientia, in his uitæ generibus quæ ipsi sen-
 tiebant esse contra Deum, & impia, perseverarunt
 & manserunt. Hinc plerique inter eos prorsus tan-
 dem, desperantes in omne scelerum genus dederunt
 se præcipientes: quidam in agone mortis, conscientie
 furis misere agitati, arces, castella, purpuram, quid
 non? pro redimendis suis peccatis ad templa dede-
 runt & monasteria. Pro hac ergo doctrina, pro hoc
 Evangelio, nunquam satis gratus futurus est orbis,
 quod nos in tanto luto peccatorum luctantes, quasi
 porrecta dextera subleuauit, ut quilibet in suo statu,
 nunc sciat quæ sit sua uocatio, quid postulet Deus,
 quæ sint bona opera, quæ uere placeant Deo. Hoc

EPISTOLA NVN=

donum omnino maius & excellentius est, quàm nos uerbis aut cogitationibus ullis assequi possimus. Sed obijcient quidam, magnam tranquillitatē fuisse in Ecclesia, antequàm exoriretur hæc doctrina. Nūc magnos motus in Rebuspub. hereses & seditiones excitatas esse. Legamus Vetus & Nouum testamentum, quādo unquàm mundus illum audiuit prophetam, aut apostolum, quem non persecutus sit. Quo unquàm seculo, Sathan contra sanam doctrinam non excitauit hereses & pseudapostolos. Si qui igitur sunt homines Neophyti, & ueræ pietatis imperiti, qui quadam gloriæ cupiditate, de Eucharistia & Baptismo, noua & impia dogmata spargūt, ipsi, ut Apostolus ait, incerti, quid loquantur aut de quibus adfirmant, cum illis nihil nobis cōmune est. Primus horum in medio Euangelij cursu exortus est Carlostadius, qui quanquàm inquietissimi animi sui furij subinde incitatus, immania damna dedit, in Ecclesia & Rep. tamen longe horribilius nociturus erat, sine ingenio, nisi natura cum infante finxisset, omniaq; ui ademisset instrumenta ad nocendum. Si qui nunc sunt simili sanatico spiritu correpti, qui contra dignitatem Sacramentorum, non modo blasphemie & impie docent, sed & politicas leges et ordinationes, contra Verbum Dei conuellunt, et non modo Ecclesiæ, sed & rerum publicarum nouam formam

Carlostadius
primus Sacra
mentarius

nam moliantur, ipsi adhuc incerti, quale edificium hæc illorum constructio, quale sue ruine futura sint: cum illis nihil nobis conuenit, semperq; Euāgelistæ sine Euāgelio, & audaces ac gloriosi pseudapostoli, & sine Christo esse nobis uisi sunt: quod iudicium nostrum, ne fallat, aut uanum uideatur, ipsi de die in diem magis gnauiter dant operam. Nos urgemus articulum iustificationis, & doctrinam fidei, quam illi Neoprophetæ, ut uulgatam aspernantur. Enarrauit hæcenus Lutherus Genesim, Deuteronomion, Exodum, Psalterium, Abacuc, Zachariã, Esaiam, eiusq; lucubrationes & translationes sunt in maxima admiratione, apud uere pios & eruditos. Et qualis tota sit doctrina Lutherana, quam pleriq; non auditam, non cognitam, tantum odio nominis damnant & conspiciunt, uel ex hoc uno in Ionam commentario estimare licet, qui non solum nihil docet impij, sed & ea quæ afflictis conscientijs, in agone summo tentationum maxime sunt necessaria, adeo tradit dextere, ut multi pij fateantur illum commentarium sibi in Psalterium, in Iobum, in omnes locos scripture, ubi loci summorum affectuum fidei incidunt, maxime usui esse. Rogo igitur hoc saltem abs te Reuerendiss. Pater impetrari patiari, ut posthabitis tot inquis præiudicijs eorum, qui cane peius & angui, oderunt nomen Lutheri, legas hæc enarrationes, qui Ionæ historiam

EPISTOLA NVN

cum magno fructu pure explicant. Quidam optima scripta, ut Salomon ait, omnibus gemmis meliora, damnant tantum, & nondum lecta, proijciunt, qui huius sui inquisiti iudicij graues poenas dabunt Deo, quod ne hoc quidem concedunt docentibus in Ecclesia, quod nunquam ausi sunt denegare, in foro aut iudicio, de umbra asini litigantibus. Eam temeritatem & seueritiam, omnibus seculis inauditam, non dubito à tuo ingenio, natura, natuuaq; prudentia alienissimam esse. Animaduerti enim multos eruditos, graues & honestos uiros, tibi præ reliquis Episcopis laudem tribuere, ingenij, prudentiæ, moderatio- nis, iudicij, diligentiae, & studij, earum rerum quæ ualeant ad conseruandã pacem in Rebus publicis, et retinendam concordiam doctrinæ in Ecclesia. Quare non opus erit, te uirum tanta sapientia præditum monere aut hortari, tantum orabimus Deum, ut & præclaris dotibus illis libeat tibi uti ad commoda publica. Ego autem ideo libentius ad te, tali captata occasione, scripsi, quod propter communem patriam, inde ab ineunte ætate, tuas uirtutes propius licuit inspicere. Deinde cum pater meus Ionas apud inclitam Honsteynensium familiam in aliqua gratia fuerit, quem & ego in mea pueritia audiui, sæpe de tuis diuinis uirtutibus & dotibus, præclare & magnifice sibi pollicentẽ, putavi paternæ memoriæ atq; nominis

minis commendatione, meum quoque quaecumque
 officium, gratius tibi futurum. Sed nunc si forsitan
 nos parum digni habemur quibus aures tuae pate-
 ant, ipsum summum & excellentissimum prophe-
 tam Ionam, ueterem aulicum, et in domibus Regum
 non ignotum contionatorem audire uelis, qui quo
 maior princeps Episcopus fueris, eo praeclarius
 apud summum hominem, de rebus etiam summis &
 maximis differet, quas ut penitus sic & utiliter
 cognoscas, spiritum suum largiatur tibi

IESVS CHRISTVS amen.

Data VI. Mensis Iulij.

Anno. M. D.

XXX.

B 2

OPTIMO VI

RO D. IVSTO IONAE, THEO.
logo VVittembergensi, Marti. Luther

GRATIAM ET PACEM IN CHRI
sto. Quāuis ego nunq̄ sperauerim, sicut nec
optaui, ut libelli mei aliquid perpetui nominis uel
authoritatis in mundo haberēt, semper eo cōtentus,
si me monitore uel ostensore, mouerētur homines ad
sacras literas legendas & intelligēdas, si forte spiritu
duce & magistro, meliora ex ipsis plenis fontibus
haurirent, quā ex meis exiguis riuulis lambere
possint. Tamen cum uideam in tanta copia tractan
tium scripturas, raros & paucos scēliciter eas attin
gere, plurimos etiam maligniter in illis uersari, &
pernitiose proprio spiritu eas explanare, incipio
meos quoq; libellos non ita odisse, neq; illis adeo pu
blicum inuidere, sicut antea semper feci.

Nam & si ego nihil sum, deniq; & in mea Ger
manica lingua stylo rudis ac barbarus, tamen illud
quod est doctrinae Christianae caput, totiuq; scri
pturae summa, nempe articulum gratiae, iustificatio
nis seu remissionis peccatorum, certe diligenter &
fideliter tractaui, ut in Domino ausim gloriari cum
S. Paulo, imperuus sermone, sed nō scientia. Tu ipse
uides optime Iona, quā frigeant, quā sint impe
riti in

riti in hac re, quotquot hodie extra nostrum confor-
tium sunt, & libros scribunt, scripturasq; explanāt,
ut si illis solis contingat Ecclesiarum administratio,
nihil certius sub ipsorū regno expectes, quā nouū
quendam Papatū, ubi Christus denuo aboleatur, cū
tota illa sapientia nostra, quæ est notitia iustitiæ fi-
dei: fixa enim in eorum cordibus humanæ opinio
iustitiæ, seu operum sic pertinaciter est, ut eam à iu-
sticia fidei seu gratiæ nullo modo separare queant.
Nec mirum sane, ego in hunc usq; diem multis &
magnis agonibus expertus sum in meipso, quā sit
res ardua & mere diuina, in animo humano eam no-
ticiam inolescere, Quod gratia & sine operibus iu-
stificemur, quodq; ipsa sola fides in Christum, sit illa
unica iustitia sanctorum Dei, iusticia inquā, ut scho-
læ loquuntur, formalis et perfecta. Excedit hoc nimi-
um cordis humani captum, & sapiendi ac loquendi
in terra modum. Quid illi facerent, qui nihil horum
experti, promittunt sibi omnia sola scripturarum le-
ctione, eaq; tam præsumptuosa, ut si semel aliquem li-
brum legerint, sibi planè persuasum habēt, sese rem
totam comprehendisse. Discunt quidem hæc uerba
usu quodam recensere, fides iustificat, opera non iu-
stificant &c. Sed ubi locos scripturæ attingunt, in
quibus hæc res pulcherrime & fortissime traditur,
ibi transeunt quasi cæci, surdi & muti, ut ne uer-

P R A E F A T I O.

bo quidem eius rei meminere, scilicet hoc ipso suo testimonio satis declarantes, quod uerba didicerint à nobis, rem nunquam serio & uere senserint. At scripturas citra hunc articulum tractare, est potius scripturas obscurare uel deprauare, cum penè sit nulla syllaba, quæ non hoc agat, ut Christus cognoscatur. Ista cum uideã (ut dixi) patior libens meos aliquot libellos optimis nostri seculi libris, tãquàm cilicium ad purpurã tabernaculi, adiungi, & in Latinam quoq; linguam spargi, inter quos hunc Ionã, quem tu uertis, numero. Nam studio singulari hoc unum egi, ut uim & robur fidei christiane, insigni aliquo exemplo, etiam rudibus, quantum fieri potuit, crassissime ob oculos depingerem. Nihil sanè facilius in omnibus prophetis antea fuit; hac historia Ionæ, ut quam sibi quouis unico aspectu uel auditu perfecte cognitam, præsumeret. At nunc etiam summis in spiritu uiris, talis est, ut sateri cogantur, se in hac necdum prima elementa perdidicisse, certe ego ipse, qui commentatus sum, pauca, & uix stillas pro re tanta dixi, necdum tamen has ipsas meas stillas sorbui, cum illi interim, forte totum mare, quo Ionas absorptus fuit, unã cum ipso ceto absorbuerint, odio planè dignũ genus hominum, cui tam cito saturo in fastidium uertuntur eternæ istæ delitiæ uerbi Dei, quibus ipsi angeli nunquã

saturantur

saturantur, sed in aeternū desyderant eas spectare.

Recte ergo facis, optime Iona, quòd huic labori te dederis, uertendo meo commentario, maxime propter fidei (ut dixi) gloriam, quam cupio uehementer, quoquo modo, quaqua occasione celebrari, siue hoc fiat meo, id est, barbaro et rudi, siue tuo, id est, eleganti & splendido stylo. Iuuabis certe rem sanctorum Dei, non infœliciter hoc studio, & sacrificium Deo suauissimi odoris offeres. Neq; dubito quin is meus cōmentarius tuo ingenio & eloquentia (quibus te Christus præ cæteris ornauit) reformatus, non solum melioribus uerbis loquetur, sed etiam rem ipsam opulentiùs & uiuatiùs lectoribus ostendet. Eritq; ut liber deinceps non meus, sed me spoliato, tuus dicatur. Quod spoliū non me offendet, sed delectabit, & rapinam hanc pro insigni misericordia acceptabo. Non adolor tibi, neq; me ipsum palpo, dum sic loquor iactabundus. Sed zelus meus est, qui urit & comedit me, uidentem, quàm totus mundus hanc rem negligat, immo summis uiribus & studijs impugnet etiam, atq; execratam & extinctam cupiat. Cum interim omnium linguarū eloquentia, meras nugas, immo stercora celebret, tanta pompa, tantis buccis, ut nostra neq; audire, neq; uidere præ illis penè ipsimet non pmittamur. Sed & tibi spero hunc laborem utilem fore, &

P R A E F A T I O .

mercede praesenti uersus Ionas, uertentem Ionam remunerabit. Solabitur enim te, et uulnus illud mortis sanabit, qua te percussum deseruit Fridriculus tuus iam quartus filiulus, morte intē pestiua raptus. Dicet enim tibi lugēti, Ionas meus, per singulas syllabas: Quid luges Iona? Hunc Ionam specta, quē profundum aquarum & ceti uenter perpetuo tri-duo, perpetuis tenebris, in mari toto circumuehit, sine fine mortis angustias sustinentem: si tamen sustinet, ac non potius sine intermissione, uelut aeterna morte moritur, & morti uictatrici succumbit. Luctus tuus magnus est, sed qui lachrymis concedat, & lachrymis erūpentibus tandem mitigetur. Angustia mea uero, non modo lachrymas non concedit, sed uniuersum exhaurit humorem, & medullas penitus exiccat. Recordare ergo Iona uiuens, huius Ionae morientis, necdum enim profundū mare & uentrem ceti expertus es, nisi tibi ipsi fingas lachrymas tuas meo mari profundiores, & dolorem tuum meo ceto immūtiorem esse. Tum potius hoc quoq; specta, quanta sit illa Dei incomprehensibilis misericordia, qui me tot mortibus toties perditum, non modo uiuum seruauit, sed saluum et letissimum uictorem, & Dominū absorbentis maris, & concoquentis ceti cōstituit. Quanto magis tuas illas stillas, quibus parum perplutus, non ab-

sorptus

sorptus es, faciliore misericordia extergat, & te
 alijs donis luctus istius superbum contemptore &
 regem faciet: quanquam si ipsa iam accepta dona
 eius aestimes, tot & tanta inuenies, ut uere possint
 dici mare gratiae, qua obrutus es, & cetus miseri-
 cordiae, qua comprehensus es, ut mihi collatus in
 meo mari, & ceto percunti, & uix halitum bre-
 uem & tenuem uitae trahenti, penitus diuersus Io-
 nas uidearis, in mari & ceto misericordiarum &
 bonorum, uiuenti: & exultans & uix modicam stil-
 lam, & lenem sibilum aquilonis sentiens. Sic, inquam,
 loquetur meus Ionas tecum, & plurima addet, me-
 liusque perorabit quam ego pro infantia mea signifi-
 care possim. Quare uos duos Ionas committam

inuicem, & Ionam Iona comendo: sciens quod

ut sunt equiuoci nomine, ita erunt &

aequianimes in pace & gaudio spi-

ritus. Quod ut sit uobiscum &

nobis aeternum, faxit ipse

nostra pax & gau-

dium Christus le-

sus laudabi-

lis in se-

cula.

A M E N.

PRAEFA=

TIO, IN PROPHE

TAM IONAM.



VM Princeps mundi hu
ius Satan, tam late sparse=
rit semen sui lolij & ziza
nie, ut serè Germania ple
na sit hæresib. & spiritib.
phanaticis, qui non modo
multos imbecilles demen=
tant, sed & constantissimis faciunt negotium, quo
eos à sincera scripturæ tractatione auocent in lo
gomachias: quæ cum nunquam fiât sine tanta amif=
sione uerbi Dei, & rerum bonarum omniũ, quan=
tam in ipsis phanaticis iam uidemus, citius euertât
conscientias, quàm stabiliant & confirment. Ideo
summa cura nobis aduigilandum est, ut σεαθη
μετα et insidias obseruemus callidissimi hostis, ne
totos nos misceamus eiusmodi rixis nũquàm finien
dis, ne cum ex scripturis, quasi ex munitissima ar
ce nostra nos elicuerit & extraxerit, incautos op=
primat. Nam illius νοημετα, inquit Paulus, non
igno=

ignoramus. Et Petrus satis nos monet, quam non dormitet hic hostis. Sicut leo, inquit, rugiens circumit, querens quem deuoret. Cum nunc ego aliquot annis cum his contentiosis spiritibus, satis acriter certamine conflixerim, & nunc alios quoque habeam antagonistas, redeo ad prophetarum & scripturae tractationem, & ne perpetuis his bellis, in quibus nunc ut spero, satis nauiter praefati sumus, quasi debilitato & fracto corpore, à Sathana obruamur, è scripturis Deo dante reficiemus uires, ut diuino uerbo & consolatione scripturae, recreati & roborati, eo fortius & constantius, rursus in acie sub signis Christi militemus. Verum id consilij non tantum propter phanaticos spiritus sequor, per quos Sathana à dexteris nos impetit: sed etiam propter tyrannos mundi, qui à sinistris nos oppugnant. Nam Episcopi omnes, & principes quidam Germaniae, incitati à Sathana incredibili seuitia & furore, iam fremunt contra Euangelium, planeque induxerunt in animam Deum & Christum eius oppugnare, uerbum & nomen Christi funditus extinguere. Nimirum si ueniat & inundet super hos omnis sanguis iustus, à sanguine Abel iusti usque ad hunc sanguinem, uere in caelum clamantem, qui ubiuis gentium iam effunditur: merito gloriari possumus, nos iam ueram faciem, formamque habere Christianae Ecclesiae,

P R A E F A T I O.

cum utrinque ab immaniſſimis hoſtibus premamur
 & urgeamur, cum ab utriſq; ſic cōſputi, tantis con-
 uitijs, & tam horribilibus blaſphemijs proſcinda-
 mur, quanta uix unquàm ſub ſole audita ſunt. In-
 dignatur Sathan, & furit Chriſtū innoteſcere, tam
 late ideo extrema tentat, & cum ſentiat imminere
 extremum iudicium, quaſi ultima tentans totis ui-
 ribus uadit, contra Dominū & Chriſtum eius. Con-
 tra has tam uarias & tantas afflictiones, opus ha-
 bemus conſolatione, ne terreamur, ſed magno &
 excelfo animo ipſorum minas & fremitum ridea-
 mus, certo perſuaſi, quòd hac crudelitate nobis ui-
 res augent, & ſuo ſe gladio iugulant, ipſi theſau-
 rizantes ſibi iram Dei, qua ſempiternis cruciatibus
 pœnas dabunt.

Non longè aberit dies illa exoptatiſſima, qua Do-
 minus ἐν νεφέλαις ueniet de cœlo, & tunc in
 ic̄tu oculi tota hæc facies rerum repente immutabi-
 tur, tunc conculcatis illis, Deus exaltabit ſuos, tunc
 Sathan experietur cum ſuis laruis, id eſt Episcopis,
 & magnatibus mundi, quàm dilecti filij ſint, quos
 ipſi tanquàm hæreticos ferro & igni perſequuntur.
 Ideo ergo ſuſcepi enarrandum hunc prophetam Io-
 nam, ut qui huic conſolationi ualde adcommo-
 datus ſit, qui & ſummū ac egregium exemplum fidei,
 ac magnificum miraculum, diuine potentie & bo-
 nitatis

nitatis toti mundo proponit. Quis enim non accendatur ad credendum, quis non tanta bonitatis exemplo inflammatus, constanter confidat, se contra peccatum, mundum, tyrannos, omnem pseudoprophetarum & Sathanae rabiem, feliciter triumphaturum, si perpendat dexteram illam excelsi adeo esse potentem, bonitatem eius adeo immensam, ut hunc Ionam in profundo maris, & huius immanis beluae uentre, iam non uno agone mortis & desperationis fractum, obliuioni traditum, & omni creaturarum praesidio destitutum, tam facile eripuerit uno uerbo, ut mortem & uitam nostram in manu Dei facilius, quam à nobis ceram fingi & refingi uideas. Hoc fit ideo: quasi, obiurgans Deus nostram imbecillitatem, intonet. *ὁ ληρωῖς σοί*? Ecce quod omnes cogitationes, omnem humanæ mentis captum excellit, Ionam hunc in mare submersum, à belua deuoratum, & in uiscera traiectum, & toto triduo non tantum in mari, sed & uentre ceti naufragantem, & tot mortibus morientem, è tenebris uno uerbo in lucem, è morte in uitam restituo, an fieri posse dubitatis, ut non nos gratia & spiritu meo roboratos, contra unam mortem, aut leuiora pericula reddam inuictos? Ob excellentiam igitur miraculi, Christus ipse magnifice praedicat hoc exemplum, & praee omnibus alijs

P R A E F A T I O.

prophetis citat hunc Ionam, ut expressam mortis
 suae, ac resurrectionis typum, cum dicit Matth. 12.
 Non dabitur generationi huic signum, nisi signum
 Iona prophetæ. Adhæc exemplum Iona, summæ
 consolationi potest esse omnibus Euāgelistis, & mi-
 nistris, ne facile desperent de fructu Euāgelij, et-
 tiam si initia, & primi aditus sint asperi, & omnia
 uideantur desperata. Nam & hic quoq; unicus ille
 homo, mittitur ad potentissimū orbis monarcham,
 & ad regnum Assyriorum toto mundo tūc summū
 & florentissimum. Si hic conferas uilitatem Iona,
 ad maiestatem & splendorem tanti regis & regni,
 cui non uideatur uehementer ridiculum & stultū,
 hunc peregrinum homuncionem, ad tantum Regē
 mitti. Quis autem, nisi stolidissimus, ausit aut possit
 sperare, ut per unum hunc uilissimum hominem, &
 rex, & proceres regni, repente percussi, permo-
 ueantur, ad tam seriam pœnitentiam, præsertim cū
 rex ipse non ipsum Ionam, sed tantum samam con-
 tionis audierit. Nullus ex prophetis aut Aposto-
 lis, ne Christus quidem ipse, una contione tantū ef-
 fecit, quantum Iona. Et nihilo leuius, imò penè ma-
 ius miraculum est, quòd Ionas una contione, hanc
 regiam & potentissimam urbem conuertit, quàm
 q̄ è uentre ceti eiectus est ad littus incolumis. Quæ
 admodum enim cetus per uerbum Dei, Ionam reuo-
 ruit:

mut: ita Ionas per uerbum Dei, totam ciuitatē Ni-
 niue, ex faucibus & uentre Sathanae, id est, è pecca-
 to & morte ereptos, seruauit. Nimirū autem si ta-
 lis ac tantus Monarcha, inflatus sua potentia, hunc
 aduenam & mancipium hoc (ut adparet) Hebraeū,
 qui ne apud suam quidem gentem erat in precio, ut
 ineptum, mendacem explosisset & risisset. Vide-
 mus quomodo Reges & Principes mundi Aposto-
 los, Christum ipsum omnino despexerint & ludi-
 brio habuerunt, ut Psalmus secundus testatur. Vide-
 mus quomodo nostri Episcopi & principes, q̄ prae-
 tato Monarcha Assyrio, uix tenues reguli, imò for-
 didi & mēdici sunt, inflati suo paupere regno, Ver-
 bum Dei non modo contemnant, sed etiā persecuā-
 tur. Ideo & Christus Matthaei undecimo, hos Nini-
 uitas contra omnes incredulos, & contemptores
 Euangelij opponens, dicit: Niniuitae in iudicio sur-
 gent cum generatione ista, & damnabunt eam. Ad
 praedicationem enim Iona egerunt poenitentiam,
 & ecce plusquam Iona hic.

Merito autem Niniuitarum exemplū totius mun-
 di ingratitudinem, in primis autem Iudeorum ob-
 iurgat. Niniuitae enim tam cito, tam serio, ad unius
 peregrini hominis Verbum conuertuntur, sine ul-
 lis miraculis. At Iudei ne ad ipsius quidem Christi
 praedicationem, qui tot concionibus, deinde & tot

IN IONAM

maximis miraculis inter eos inclaruit, resipiscunt. Hæc tanta duritia & ingratitude est, iam nunc cum solum legitur & auditur, maximum omnino Iudaicæ gentis dedecus & summa infamia est. At longe maior tunc futura est, cum hoc non tantum audietur aut legetur, sed coram tribunali Christi prolatum, uidebitur. Sed sic sunt obdurati, cæci, tales hypocritæ omnes, nec ullis uerbis aut miraculis permoventur. Ideo hos & similes missos faciēs, accingor enarrando prophetæ, ut ex illo, dante Deo, nostram consolationem & fructum hauriamus. Amen.

IONAS

PROPHETA.



VNC Prophetam Ionã quidam contēdunt filium esse uiduæ de Zarith, Sidoniorum, quæ prophetã Heliam pavit tempore famis, ut in primo lib. Reg. cap. 17. & Luc. 4. habetur. Eius rei afferunt argumentum, quod Ionas ipse sese hic

se se hic uocat filium Amithai, id est, filium ueracis, & uidetur eis uerba uiduæ ad hoc apte quadrare, quæ ad Heliam filium eius suscitantem à mortuis, dicit: Nunc cognoui uerbum oris tui uerū esse. Eam opinionē sanè sequatur qui uolet, ego non sequor. Sed constat Ionam esse filium Amithai, Latine ueracis, & ex oppido Gath Hephèr, quod situm fuit in tribu Sabulon, Iosue decimonono. Nam sic scriptum est 4. Reg. cap. 14. Rex Hieroboam restituit terminos Israël ab Hemath usq; ad mare solitudinis iuxta sermonem Domini Dei Israël, quē loquutus est per seruum suum Ionam, filiū Amithai prophetam, qui erat de Gath Hepher. Adhæc uidua de Sareptæ Sidoniorum erat gentilis, quemadmodū Christus Luca 4. dicit. Ionas autem hic, primo cap. fatetur se Hebræum.

Hoc ideo præmitto, quia in enarrandis prophetis, admodum utile est, & ubiq; plurimū addit lucis, ut (quatenus hoc fieri potest) diligēter ostendamus, quo in tēpore, sub quo rege, quo statu rerū, qua terra propheta uixerit, quē legis. Conducit enī ad intelligendam eo clarius prophetiam, quando temporis, personæ, loci circumstantias, & quis tunc status rerum fiat, exacte primum discimus & perpendimus. Nunc ergo ostendi hunc Ionā fuisse tempore regis Hieroboā, cuius auus fuit rex Iehu, tunc

cum Vſia rex regnabat in Iuda, & ſub idem tēpus
 floruerūt in eodem regno Iſrael alij prophete, Ho
 ſea, Amos, Ioel, in alijs locis & oppidis. Ex quo
 conijcere licet hunc Ionam in toto regno Iſrael, ui
 rum maximum, potentem in opere & ſermone co
 ram Deo & hominibus fuiſſe: propter cuius uer
 bum adeo benedicitur, adeo fortunatus fuit tūc rex
 Hieroboā, ut tunc ſcœlicibus bellis recuperarit om
 nia, quæ Haſael rex Syriæ, regno Iſrael eripuerat
 & occuparat. Hic hostis adeo afflixit uarijs calami
 tatibus Iſraelem, ut propheta Helifa, non ſine mul
 tis lachrymis hoc prædixerit, 4. lib. Reg. ca. 8. Scio
 quæ factururus ſis filijs Iſrael mala, ciuitates eorum
 munitas igne ſuccendes &c. Et quamuis regnum
 Iſrael deditum eſſet Idololatriæ, & ultra Deum ue
 rum adoraret aurea Idola uitulorū in Samaria, ta
 men Deus nihilominus benefecit ei propter Ionam.
 Tam incomparabile Dei donum eſt, quando Deus
 alicui terræ dat Verbum, & uel unum hominē ha
 bentem Verbum Dei, ut propter illum non tantum
 ignoſcat & conuiueat ad peccatum & inobediē
 tiam totius populi, ſed etiam beneficia ſua opulen
 ter ibi effundat. Quid non faceret ubi plures ſunt
 pij, & qui habent Verbum Dei? An autē hoc quod
 geſſit Ionas in Niniue, & uentre ceti, factum ſit an
 tequam Ionas ſic conſuluit Hieroboam regi, & re
 bus

bus totius regni Israel, uel posteaquàm redit à Ni-
 niuitis, non certo constat ex scripturis. Verisimi-
 lius tamen est quòd primum regi Hieroboam in re-
 gno Israel inseruiuit et cõsuluit, donec rex restituit
 regnum, & recuperauit occupata à Syris, post ex-
 tra terrã suam missus est à Deo in terrã longinquã.
 Nam in terra Israel experientia didicerat, quàm sis-
 sisset Deus bonus & misericors erga Idololatrias re-
 gni Israelis, ideo & diuinabat quòd Deus esset mise-
 ricors futurus erga Niniue, & se frustra predicatu-
 rum, quemadmodum ipse fatetur, atque ideo irasci-
 tur, capite tertio.

In summa, status rerũ in mūdō tunc eiusmodi fuit.
 Summa monarchia erat apud Assyrios in Niniue,
 quemadmodũ post in Babylone, & tandẽ apud Ro-
 manos. Ultra hanc erant alia minora regna, Syria,
 Israelis, Iuda, Edom, Moab, & regnum Israel sub
 rege Hieroboã florebat propter Ionam, & regnũ
 Iuda quoq; non male habebat sub rege Vfia. At ille
 tunc extremus & ultimus flos regni Israelis fuit, et
 quasi ultimũ Vale. Nam post mortem regis Hiero-
 boam, cum Israel neq; minis neq; beneficijs reuoca-
 ri posset ab Idolis et impijs cultibus, palãm minaba-
 tur ruinam Respublica & regnum Israelis, & inte-
 stinis discordijs, & cædibus mutuis interierunt re-
 ges, donec uenit rex Assyriorum, deuastans Syriã

& Israel, & transtulit regem & populū in As-
 syriam. Vnde in hunc diem Israel non est reuersus,
 quemadmodum ultimum caput secundilib. Reg. te-
 statur. Cum igitur impenderet tanta calamitas &
 excidium totius regni Israelitici, propter impieta-
 tem populi, ideo misit Deus Verbum suū per pro-
 phetas, ut conuerterentur, aut aliqui saltem lucrifi-
 erent. Sic enim semper inde ab initio mundi cōsue-
 uit facere Deus, quādo impendit insignis aliqua ira
 aut calamitas, primū promittit Verbū, ut aliqui li-
 berētur. Sic Noa misit ante diluuiū, Loth ante cuer-
 sionem Sodomæ: Abraham, Isaac, Iacob, ante exci-
 dium terræ Canaan: Ioseph & Mosen ante tot hor-
 ribiles plagas Aegypti: Ionam & Hosea ante deua-
 stationem Israel, Ionam etiam ante cuerisionem Ni-
 niuæ. Sic Christum etiam filium suum misit in mun-
 dum, antequām ultima ira extremi iudicij ueniat.
 Sed post Christi mortem, nō modo Hierusalem, sed
 Roma, & totum Romanum regnum sic interijt, ut
 uix ruine relictæ sint. Nos etiam iam habemus ean-
 dem gratiam & lucē diuini uerbi, ideo certū est ma-
 ximas calamitates impendere, ibi Deus quosdam
 uult eripere, antequām ueniant, uenturæ enim sunt
 nisi resipiscemus. Sed prohdolor, pauci resipiscūt,
 ideo & pœnas peccati, seditiones, pestilentias, Tur-
 cam etiam ipsum iam experti sumus.

Surge, & uade in ciuitatem magnam Niniue, & prædica ibi &c.

Hic uidemus Deum non solos Iudeos agnoscere, sed etiam reliquos populos & gentes. Quem admodum Paulus Rom. 3. dicit: An Iudeorū Deus tantum, nōne & gentium? Hic propheta non dicit Niniuitas legem Iudaicam recepit, sed tantum commendat eos, quōd ad prædicationem suam, credentes Verbo Dei, mox conuersi sint & respiciunt. Hoc sanè forte & firmum argumentū est quod Iudæi possint retundi, & Christiana doctrina confirmari, atq; ideo dignū q; hic obseruemus. Ex hoc enim loco cōuincere & planè ἐπιστήμην possumus, contentiosos & pugnaces Iudeos, circumcisionem & legem Moysi non esse necessariam, ad consequendam iustitiam coram Deo: neq; uerū esse quod opinantur Iudæi, Israel carnalem tantum esse populum Dei, & fore ut totus mundus, omnes gentes carnaliter adijciantur Iudæis, Mosen et Iudaismum recipiant. Nam hic Ionas testatur suo libro, & ostendit Niniuitas absq; lege & ritibus ac cultibus Iudaicis, tantum per fidē, & fructus fidei placuisse Deo, & satisfecisse, neq; quicquā amplius exegisse Deū. Nam si lex Moysi necessaria esset ad iustitiam, tūc Niniuitis quoq; fuisset necesse circum

eidi. Nunc autem sola fide in Verbum Ione iustifi-
 camur. E contra autem inuenimus Deum exigere
 fidē à Iudæis & opera bona, neq; prodesse eis cir-
 cuncisionem, & uarios cultus legis Mosi. Quem-
 admodum Esaie .1. recijcit omnes egregios cultus ip-
 forum, & sacrificia. Et uidemus hunc locum Ione
 pulchre concinere cum Paulo Rom. 2. quod gentes
 non habentes legem, ea quæ legis sunt, faciunt, &
 Iudæi per literam & circuncisionem præuariato-
 res inueniuntur legis. Vt facile hinc possis animad-
 uertere, legem Mosi tantum Iudæis ad tempus da-
 tam esse, ad humiliandos & coercēdos eos haud
 aliter atque sub pædagogo. Et Paulus Galat. 4. di-
 cit, nullo modo autem in hoc datā esse, ut per hanc
 coram Deo iustificentur, sed potius ut per legem
 mortificati, humiliati, sitiānt gratiam, confugiāt ad
 Christum. Sic nunc propheta Ione pulchre confir-
 mat locum Pauli Roma. 3. non ex operibus legis,
 sed per solam fidem nos absq; operibus iustificari.
 Quæ fides postea non est ociosa, sed uere timet
 Deum, uere cōfidit, benefacit proximo, ut hic in Ni-
 niuitis uidemus. Si nunc Ninuitæ tunc nō obligaba-
 bantur ad legem Mosi, aut recipiendum Iudaismū,
 cum lex et omnes cærcmonie legis adhuc durabāt
 in populo, tempore quo Christus nondum uenerat.
 Quanto minus nunc obligati sumus ad legem Mosi,
 iam

iam reuelato Christo, & Euangelio, & lege etiam apud Iudæos abrogata. Proinde lege Mosi, haud aliter atq; Niniuitæ nihil amplius opus habemus ad iustitiã, sed tantũ fide, quæ operatur & efficax sit.

Hoc dico, non tantum ad conuincendos solidis et firmis argumentis Iudæos, sed etiam propter nos, qui iam olim super hac doctrinæ sanæ, & ueritate Dei, non cum uno diabolo, quasi in acerrimo agone decertamus, & luctamur. Primũ enim Papa cum suis, Euangelium hoc salutis Nouam Doctrinã uocat, oneratq; nos multo grauioribus & pluribus legibus, quàm Moses: contenditq; in his sitam esse coram Deo iustitiã. An uero ea non est uetusta satis quæ tempore Ionæ, tanto tempore ante Christi aduentum fuerit, à tot prophetis, tanta contentione proclamata, & usq; ad sanguinem defensa. Deinde, an non satis efficax ad iustificandũ, cum hæc doctrina fidei Niniuitas Idololatrias iustificarit absq; lege & operibus legis Mosi, tum cum ne suspicari quidem poterat, quisq; unquàm ullum Papatum, in mundo futurum. Deinde sunt phanatici quidam spiritus, qui lege Mosi onerare nos conantur, & Magistri Nostri, cum tamẽ non Mosi, nec Christi uerũ usum norint, cum nunquàm didicerint, quatenus lege Mosi utendum sit, aut ad quos pertineat. Eiusmodi spiritus erant, qui tantis tumultibus in tem=

IN IONAM

plis diruunt altaria, & statuas euertunt, ac pictas
 imagines ex mutis & miseris illis parietibus era-
 dūt, in cordibus ipsissimi Idololatæ tantū. Qui no-
 stros principes ac magistratus uolunt uti lege Moi-
 si in iudicijs & foro, qui tam furiosis clamoribus
 quiritantur, Verbum Dei est, uerbum Dei est, uer-
 bum Dei est: quasi uero omne Verbum Dei, ad om-
 nes eque pertineat, quasi uero nullum faciendū sit
 discrimen, quòd Verbū Dei ad quos dictum sit, qui-
 busue mandatum sit. Verbum Dei erat, quo præci-
 piebatur Noe, ut edificaret arcam. Verbum Dei
 erat, quo Deus Abraham & Salomoni mandabat,
 alteri ut mactaret filium in holocaustum, alteri ut
 edificaret templum. At non ilico idem mihi est fa-
 ciendum, nam illud uerbum Dei ad me non est di-
 ctum. Mihi autem hoc generale Verbum & man-
 datum dictum & factum est: Respicite et credite,
 quæadmodū etiā hic Niniuitis. Proinde nō est ut mi-
 hi occinas, Verbū Dei est, uerbum Dei est: sed oportet
 ibi diligenter esse attentum, an mihi hoc Verbū
 Dei, an alijs dictū sit, et postea parere uocationi.

Vide uero, quàm grauem & magnam prouiniā
 demandat hic Deus Ionæ. Nam unicum hunc, coram
 mundo uilem & contemptum Ionam, Deus prædi-
 catorum constituit aduersus totam Monarchiā As-
 syriorum, contra tantū Regem & eius principes.

Cum au-

Cum autē aliās nō modo magni negotij, sed et ma-
ximi periculi res sit, coram mundi potentibus præ-
dicare ueritatē Dei, qui omnium minime ferre pos-
sunt, ut libere obiurgentur corū scelera, sed quod
libet, licere sibi uolunt, magnum profecto onus hic
imponitur Ionæ, annunciādi illis omnibus corū sce-
lera. Et nisi Deus postea animasset Ionam, iuxta il-
lud Hierē. 1. Ponā te ut columnam ferreā: nisi aper-
tionem oris ei dedisset ἐν πᾶσι πᾶσι, rei
grauitate, et oneris magnitudine conterritus, resi-
liisset, et ne postea quidē hoc ausus esset. Num pu-
tas Ionam sepe reputasse apud se quo mitteretur,
scilicet non ad oppidulum aliquod tenue et rustica-
num, sed ad potentissimum orbis Monarcham, in il-
lam regiam aulam, et maximā urbem, ubi tot prin-
cipes, tot mundi sapientes, tot proceres florentissi-
mi regni, tot luxu et opibus perditī magnates e-
rant, inter quos multi, non modo coram mundo ho-
nesti et boni uiri, sed et omnis uirtutis genere in-
signes, præcellentes, et esse et haberi uolebāt. His
nunc tantis hominibus repente exoritur hic uilis et
contemptus Ionas, non modo censor ac magister ui-
tæ et morum, sed et nuntius æternæ iræ Dei, et
prima uoce damnaturus hanc totam speciem hone-
stissimæ uitæ, et liberrime in publico declamatu-
rus hæc omnia coram Deo, impia, proiecta, et in-

I N I O N A M

quinatissima esse peccata. Hoc igitur nunc subire
 onus (præsertim ad tantum tyrannum) planè dif-
 ficilius, & magis arduum omnino fuit, quàm nunc
 animo concipere, aut ulla cogitatione imaginari
 possimus. In summa, hæc historia uidetur frigida,
 & non afficit ualde nos, quia nos tunc non adfui-
 mus, nec sensimus magnitudinem periculi, re tunc
 præsentis. Si nos similia experiri deberemus, aut si
 huic rei adfuissemus, tum res longe absurdissima, et
 stultissima nobis uisa fuisset, unicum hominonem
 mitti ad expugnandam et euertendam Verbo Dei
 tantam Monarchiã. Quid putas iudicaturum mun-
 dum? si ego unus aut tu aut aliquis mendicus mitte-
 retur ad Dominatorẽ iam totius Asia &c. regem
 Turcarum, ad obiurgandũ cum, ac principes eius?
 apicula aut musca uideretur mitti ad prosternen-
 dos muros Babylonis. Quàm sæpe uisum est Italis
 et Romæ Curtisanis ridiculũ, quãdo aliquis Romæ
 ausus fuit mutire contra Papam. Sed hoc fit ad eru-
 ditionem & consolationem nostram. Quantumuis
 enim opera Dei uideãtur inepta, ridicula, & omni-
 no stultissima coram mundo, tamen quando incipit
 aliquid Deus, etiam cum omnia appareãt despera-
 ta, ipse mirabili sapientia & potentia sua perrum-
 pit. Stultũ enim Dei sapientius est hominibus. 1. Co-
 rinth. 1. Hoc ostendit hic in Iona.

Et surre

Et surrexit Ionas ut fugeret ad mare, a facie Domini, & descendit in lapho.

Latini textus omnes habēt Tharsis, ubi ego trās tuli, fugit ad mare. Næ autem prudentuli hoc calumniantur, oportet me huius rei reddere rationē. Quidam contendunt Ionam fugisse Tarsum, in urbem Ciliciæ, unde oriundus fuit Paulus Apostolus, Act. 9. Sed hoc non habet scriptura: nam textus nō dicit Tarsus uel Tarsum, sed Tharsis, uel ad Tharsis. Hebræa lingua duo uocabula habet, quæ significant mare. Iom & Tharsis: iom nō significat tantum mare magnum, sed etiam alios lacus & paludes. Nam Lucas, mare circa Tyberiad, Capernaum, & Bethsaida, in quo nauigauit Christus, uocat. Sic etiā Moses Gene. 1. dicit. Deus uocauit congregationem aquarum Iom, id est, mare uel paludes. Sed Tharsis significat mare magnum, quod nō est tractus, uel sinus, uel brachium tantum, in quo mari sunt Cyprus, Rhodus, & aliæ insulæ, quod etiam nauigauit sanctus Paulus, Actu. 28. cuius iam Turca, Veneti, Galli, & Hispani domini sunt: porrigitur autem à Cilicia usq; ad finem Hispaniarū. Sic & mare rubrū, et alia, etiā appellatur Tharsis. Sic dicit Psal. septuagesimus secundus: Reges Tharæ

IN IONAM

*sis & Insule munera offerent, id est, reges in litto-
 re maris magni & insule. Ciuitas Tarsus non est
 regnum, neq; unquam habuit unum regem, aut plu-
 res reges. Sic Salomon naues misit in Tharsis, hoc
 est, in mare uersus Orientem per mare rubrū, ad
 afferendum aurum ex India. Ibi naues non poterāt
 rectā ad ciuitatem Tarsum ire, nisi per aridam &
 terram uelis nauigare. Nam inter Tarsum & ma-
 re rubrum nihil est quā terra. Sic Psalm. 45. dicit:
 Conteres naues Tarsis, hoc est, naues in mari. Et
 Esaias dicit 23. Ululate naues Tarsis, id est, naues
 maris. Et multis alijs locis potest hoc colligi, adeo
 ut sanctus Hieronymus ipse fateatur melius reddi
 mare, & intelligi commodius de mari, quā de ci-
 uitate Tarso. Neq; Ionæ negotium erat in ulla cer-
 ta urbe Tarso uel alia, sed tantum anhelabat fuge-
 re, quocunq; tandem deferretur, tantum fugā quæ-
 rebāt, quemadmodum & dicit: et cum undiq; per-
 cussus, nullum excogitare potuit locum, cepit tri-
 ste consiliū nauigandi, quo uenti, tempestatesq; de-
 ferrent. Iapho est ciuitas Ioppe, sonat Latine spe-
 ciosa, portus ad quem deueniunt, qui nauigant &
 appellant ad Iudæam, seu terram sanctam. Ionas igi-
 tur à portu Iudææ soluit, & nauigauit uersus Occi-
 dentem. Hoc etiam ostendit hoc uerbum, quod di-
 cit, fugit à facie Domini. Quis enim potest fugere
 à facie*

à facie Domini, cū sit ubiq; ut Psal. 138. dicit. Neq; Ionas erat tam rudis, ut nesciret Deum esse ubique, cum post ipse fateatur se seruire Deo, qui condidit cœlum, terrā, mare, & omnia quæ in eis sunt. Cum etiam audiret quòd Deus esset in Niniue ulturus impietate, qui missurus esset se ad Niniuitas. Sed hoc sic est intelligendum: Deus duplici modo est præsens. Primū naturaliter, sic est ubiq; ut Esaias 62. dicit: Cœlum sedes mea est, & terra scabellum pedum meorū: sic est in medio inferno, morte & peccato, ut Psalm. dicit, Si ascendero in cœlum, tu illic es &c. Sic nemo potest effugere oculos Dei. Secundo, spiritualiter, & sic tantum ibi est præsens, ubi uere cognoscitur, id est, ubi illius uerbum, fides, spiritus, & uerus cultus est, ibi habet suos, qui soli certo sentiunt & statuunt, Deum talem esse Dominū, qui omnipotens & ubiq; sit. Impij autem hoc serio non sentiunt, non credunt, nec confidūt quòd Deus ubiq; sit, etiam si hoc audiant doceri, aut ipsi etiā dicere, & uerbotenus docere possint. Sic potest quis fugere à facie, quando eò aufugit, ubi nec Verbum, nec nomen, nec spiritus, nec cognitio Dei est. Sic Ionas fugit à Domini facie, à populo & terra Iudæica, in qua Verbum Dei, spiritus & cognitio Dei est. Ionas fugit in Tharsis, in mare, in gentes, ubi nec Verbum, fides, nec spiritus Dei erat.

I N I O N A M

Hic nunc incidit questio, an Ionas tūc peccarit, fugiens à facie Domini. Veteres scriptores, & sancti patres ualde propensi fuerunt, ut prophetas, apostolos, & reliquos sanctos prorsus immunes fecerint ab omni peccato, & planè angelos, qua stulta humilitate tandē eò prolapsi sunt erroris, ut maluerint manifestos scripturæ locos torquere, et uiolenter corrumpere, quā sanctos, peccatores facere. Quanquā nunc ea humilitas, qua præ se scriptores Apostolos & prophetas fecerunt ab omni peccato mundos, sit catenus tolerabilis, quatenus ex odio peccati & amore iustitiæ procedit, tamen periculosum est, torquere scripturam, aut uiolentā interpretationem sequi. Christus Matth. 5. dicit: Cælum & terra transibunt, uerba autē mea nō transibunt. Melius est minus tribuere sanctis quā merentur, quā de prauare Verbum Dei. Nam sine sanctis possumus saluari, sine uerbo Dei non possumus saluari. Sequimur igitur hic manifestum Verbum Dei, & claræ scripturæ uerba, & sentimus Ionam in maximum peccatū prolapsū esse, quo esset in æternum damnatus, nisi fuisset ex numero electorum, & scriptus in libro uitæ. Hoc enim nemo potest inficiari, Ionam hic uocatum à Deo, accepisse mandatum diuinum, ut prædicaret in Niniue. Ad hæc certissimum est, hic non iocatum esse Deū, sed non mi

non minus serio hoc mandasse Ionæ, quàm Adã mandatum dedit, ne cederet &c. dixit enim Deus: Multitudo ciuitatis Niniuæ ascendit ad me &c. Ego statui propter peccata & impietatem totum Assyriorum regnum castigare. In summa, ira Dei impendet Niniuitis. Præterea certum est, Ionam huic diuino mandato inobediẽtem esse, cum fugit, detrectat iussum Dei, & nihilo leuius peccat, quàm Adam in Paradiso. Debat enim Ionas nõ modo parere mandanti Deo, sed & iussum Dei alacriter, & summo gaudio exequi, & sexcenties citius mortem perpeti, quàm Verbo Dei non obsequi. Quod enim grauius aut abominabilius potest esse peccatum, quàm diuinæ uoluntati aduersari? Vide cuiusmodi poenas dederit Adam, Saul, populus Israel, contempti mandati diuini, & quàm plectitur grauius Ionas? Eant nunc qui uolent, & eleuent, & extenuent culpam Ionæ, nouũ & insigniter horribile genus poenæ, satis ostendit non leue fuisse peccatum. Quàm pulchre hic effugit Ionas manus & imperiũ mandantis Dei, quàm libens ex animo postea hanc suam, si potuisset, uel tribus mortibus mutasset. Non uult muti in Niniue, in mediũ aule & populi conuentionator, & projicitur in medios fluctus, immanißimo ceto præda futurus.

Hoc totum scriptum est ad nostram doctrinam,

I N I O N A M

primum, ut hic discamus, qui in afflictione & cruce remurmurant, nec obediunt Deo, illis tamen ferenda est tandem uoluntas Dei, neq; nostra detrectatio eius imperium & uoluntate uertit. Et uidemus hic, qui propter Deum recusant tolerare leuiorem aliquam crucem, illis saepe longe grauior postea agon decertandus. Proinde si sapis, cito permitte te Deo, & eius sanctae uoluntati, cito occurre ei hac uoce, Fiat uoluntas tua. Hic tamen id non obscurum est signum gratiae in Iona, quod mox post peccatum, Deus eum ut dilectum filium castigat, nec sinit inualescere affectum eius carnalem, aut inobedientiae. Sic ut iure possit gratus canere Ionas, Castigans castigauit me Dominus, sed morti non tradidit me. Secundo, habemus hic exemplum, ut recte discamus uim misericordiae & gratiae, ne nostris meritis fidamus aut demeritis terreamur, & sciamus neq; in peccatis nos damnari, neq; bonis operibus saluari. Sola enim gratuita misericordia Dei seruamur, & non modo peccata, sed & optima opera sunt damnabilia, nisi adsit fides, quae neq; peccato desperet, neq; meritis confidat. Hic enim uides Ionam nullo opere esse promeritum, ut in uentre immanis & teterum & beluae magnifico miraculo seruarietur, utq; tertio die uiuus eijceretur in littus, sed mirabilis et amplissima misericordiae hoc opus est, quemadmodum &

dum et Ionas in suo cāico hoc miris affectibus prædicat, ut infra audiemus. Econtra uides nō leue flagitium, sed inobedientiam manifestā, & tamē huic peccato non succumbit Ionas, nec deseritur. Hoc facit rediuiua illa infracta, alacris, & denuo excitatissima fides, in medijs illis fluctibus, & medio peccati naufragio non desperans, nec nutans, sed mordicus tenens promissionem Dei, & Verbum gratiæ: & cum omnia uideantur desperata, tamen reijciens se cōfidenter in Deū, agnoscens ingenue peccatum, & prosternens se ad pedes Dei. Si enim desperasset Ionas, neutiq̄ ē uisceribus ceti creptus esset, nec sic in media morte seruatus. Verum inuictū hoc robur fidei, in medio peccati adhuc luctātis efficit, ut Deus huius Ionæ in infima abyssso proiecti, obliuisci non possit, tamet si iam plus quā semisepulti, & in uisceribus beluæ, tantū non cōcocti. Ipsa mors igitur reuomere cogitur iam deuoratū, & penè ter consumptū Ionā. Sed de hoc infra dicemus.

Hec igitur maxima est consolatio nobis, quōd uidemus non solū nos infirmos esse & imbecilles, sed & spiritualissimos homines ipsos, prophetas, et maximos sanctos grauiter lapsos esse: nam & ipsi homines fuerunt, caro & sanguis. Non desperandum igitur nobis est, etiam si labamur, modo non excidamus regno gratiæ, per hæresim aut falsam doctrinam

nam. Quemadmodum eorū qui sunt in regno gratiæ, nullum tam graue peccatum est, quin credenti-
 bus condonetur. Ita extra regnum gratiæ nullum
 opus est tam nobile aut preciosum, quod nō sit dam-
 nabile. Hoc autē est manere in regno gratiæ, quan-
 do contra gratiam non peccatur. Contra gratiā au-
 tem peccatur duobus modis. Primum, quando pec-
 caui contra præceptum Dei, & peccati culpam sic
 adaugeo, ut oblitus promissionis desperem, & de-
 spondeam animum, quasi nunquam remissurus sit
 Deus peccatum, aut quasi non sit ignoscentia apud
 Deum. Nam ibi etiā nulla est amplius gratia, & ab-
 negatus est Deus, contemptaq; omnis opulētia gra-
 tiæ. Hæc tentatio iam amplius non est humana, sed
 Sathanica, & peccatum in spiritum sanctum, quod
 non remittitur quāmdiu durat, quia ex diametro pu-
 gnat cum misericordia, & est blasphemia in gratiā
 per quam solam remittitur peccatum.

Hoc autem uoco manere in regno gratiæ, quan-
 do non despero de gratia Dei, aut remissione pecca-
 ti. Sed magna animi certitudine & constantia, con-
 fido Dei gratiam esse amplissimam, & remissionem
 peccatorū, etiam si uehementissime premat me pec-
 catum, etiam si iram Dei & omnium creaturarum,
 quasi unū mihi incūbentem sentiā, etiamsi propria
 conscientie dialogismi me expugnent, grauißimiq;
 reatus

reatus conuincāt. Hoc demū est amplitudinem gratiæ uere cognoscere, & Dei misericordiam laudare, & fiducia illius iudicio Dei, morti & inferno, omnibusq; inferi portis insultare. Sic Iaco. 2. dicit, Excellit misericordia iudicium, id est, maior est amplitudo gratiæ, quàm ullum iudicium, & potentius est regnum gratiæ, quàm ira aut iudicium Dei. Qui nūc sic tenaciter adheret promissionibus, ille infra etus est contra omnem accusationem. Qui autē per pusillanimitatē cedit conscientiæ, in illius corde impetus iudicij uincit fidem, & ibi succumbit fides, et superat iudicium planè ad damnationem.

Quemadmodum e contra, ubi animosa fides apprehendit promissionem gratiæ, ibi uincitur & opprimitur iudicium, omnisq; uiolentis urgentis iræ Dei, ibiq; regnat in corde, & excellit cognitio misericordiæ & gratiæ, ad salutem et uitam eternā, quemadmodum hic excellens hæc uictoria fidei est in corde Ionæ. Atq; hæc iam non est humana iustitia, sita in nostris operibus aut uiribus, sed etiā iustitia diuina, cœlestis & æterna, sita in sola fide, & spiritu absq; operibus. Nam pure & simpliciter in nititur promissio gratiæ, quod non facit ulla iustitia operum. Ea iustitia Sabbatismus est sanctissimus ab omnibus operibus. nam in nulla re externa sita est, sed tota, et per oia sita est intus in corde et cōscientia.

Secundo pecco contra gratiam, quando bona opera facio ea spe & fiducia, quasi per ea deleri possint peccata, & reconciliari Deus. Nam per eam fiduciam iterum blasphemus sum in gratia, quasi ea non opus habeam, sed operibus possim iustificari. Hoc iterum est contemnere & blasphemare gratiam, & ea iustitia & fiducia operum, tunc non est iustitia Dei, sed Sathanica, & peccatū quod nō remittitur, quāndiu durat, & erratum non agnoscitur. Hoc autem est excidere & manere extra regnū gratiæ, quando confidimus nos ullo opere aut re externa sic iustificari, ut non indigeamus gratia, sed quasi opera nostra satis sancta et pura sint: hoc tunc est invertere uerbum Iacobi, Iudicium excellit misericordiam. Nam opera ibi opponuntur iudicio Dei, imò opera præferuntur & conferuntur misericordie, hoc est peccatum in spiritum sanctū, quod non potest remitti, id est, talis impietas quæ ipsa sibi non relinquit gratiam & misericordiam, quæ possit remitti, ut alia peccata quæ infirmitate uel aliis sunt. Nam omnia alia peccata, hoc sibi relinquunt integrum, ut adhuc misericordia ibi sit & gratia, quæ superabundet magis quàm peccatum. Hoc peccatum autem, hæc blasphemia & fiducia operum, prorsus excludunt, abnegant & aspernantur gratiam, quasi nulla sit misericordia quæ possit sanare,

aut quasi non opus sit gratia ad remittenda peccata. Et hoc est excidere regno gratiæ, & peccare cōtra spiritum & gratiā. Ex hoc intelligi potest, quid Christus uelit, quòd dicit peccatum in spiritum sanctum non remitti, nec in hoc seculo, nec in futuro, Matth. 12. & Mar. 4. & Ioannes cum dicit non orari debere pro peccato ad mortem, peccatū ad mortem uocat peccatum in spiritum sanctum, hoc est, tantum dicere quòd desperat in peccatis, aut fastuose gloriatur in operibus, hic peccat in spiritum sanctum, & contra gratiam. Ibi quidem orandum est, ut à tali obstinatione liberentur sic indurati, et conuertātur. Vt autem Deus ipsorum misertus, faciat suam misericordiam in ipsorum cordibus, esse potentiorē quàm hoc sit peccatū, ut aliàs oramus pro erratis, hoc est impossibile orare. Nam ibi orare pugnancia quòd Deus sineret suam gratiam cōtemni, & tamen faceret potentiorē esse his peccatis. Hoc fieri nequit. Sed debemus orare cōtra hoc peccatū, quemadmodum Moses Num. 16. orat contra peccatum Core, & dicit: Non uelis respicere sacrificia ipsorum. Nam Core etiam uolebat magnifici opera sua coram Deo, & eo ipso peccauit contra Deum & gratiam, hoc neutiquam ferendum erat. Omnia peccata sunt tolerabiliora, quæ sinūt regnare & dominari gratiam, sed de hoc satis.

Sed quid Ionam mouit, ut detrectaret mādātum tantum, & quòd tam inuitus sequitur uocationem hanc & missioneē ad Niniuitas, uariæ recensentur à theologis causæ: primū terrebat difficultas mandate prouintie, & nimis noua insolita & difficilis uidebatur uocatio, quòd sine exēplo præ omnibus alijs prophetis, mittitur in peregrinū regnum ad tantū Monarcham. Neq; enim legitur, quòd Deus ullum alium prophetā, extra regnum Israel in tam longinquam terram ad externa regna miserit. Cum igitur hoc adeo nouum & insolitum sit genus uocationis, attonitus quoq; stupescit propheta, & quid cogitet quo se uertat, nescit. Cum enim aliās carnis & sanguinis ea sit infirmitas, ut nunq̄ sine magna lucta & agone possit se pmittere Verbo Dei, aut sequi diuinos iussus, præsertim cum soli mihi uideo aliquid imponi præ alijs. Quemadmodū Petrus respiciebat ad Ioannem, Domine, inquit, quid autem hic? Adeò initio non uidemus plane inuitabile esse imperium, cum Deus aliquid iubet, quemadmodum hic cernitis in Iona. Hic initio non libēter relinquit patriam & cognatos, nihil secius stat immotum Verbum Dei, tandem idem Ionas in profundo maris, in abditissimis immanis beluæ uisceribus (quod uel auditu horrendum est) iacere cogitur, ter absorptus & planē solus, ubi tamē omni spe carnalis auxili,

xlij exiit, ubi tamen relinquendum ei fuit, sic omne presidium creature, quasi in caelo & terra nihil esset quam Ionas & Deus. O haec est grauis lucta. Quidam etiã existimant carnali metu tanti regis fugisse Ionam. Alij etiam ideo eũ mandatũ recussasse, quòd metuebat ne prophetiam non sequeretur euentus, quemadmodum etiam accidit. Metuisse enim putant illi Ionam, ne haberetur pro falso propheta, qui non ex Deo esset, sed hęc causa nihil est. Ignorabat autem Ionas quid esset futurum, cum quarto capite dicat, sedisse eum è regione ciuitatis, & expectasse quid ei accideret. Ex quo conijcere licet quòd expectauit redigendam in cineres urbẽ, exemplo Sodomæ & Gomorræ, atq; ideo etiã stomachabatur, quòd hoc non fieret. Hinc conijcere licet ideo ipsum fugisse & detrectasse mandatũ, quòd odio habebat Niniuitas, & adhuc carnali Iudaico affectu laborabat, quasi Deus tantum Iudeorũ, & Israelis Deus esset, non gentium. Et cogitauit Ionas Niniuitas nõ esse dignos gratia & uerbo Dei, cum nõ essent de Repub. Israelis, aut populus Dei. Quẽ admodũ etiam Apostoli laborabant hoc carnali affectu, quasi Christi regnum corporale futurum esset, & postea cum cognouissent spirituale futurum, tamen putabãt ad solos Iudeos pertinere, & nõ esse predicandum Euangelium, seu hoc regnũ Dei genti

tibus, & prædicabant tantum Iudæis, donec per uisionem Petro, in Act. 10. deinde per manifestam uocationem & missionem in gentes Pauli & Barnabæ, in Act. 13. deinde per miracula & conciliū, in Act. 15. decerneretur Dei uoluntatem esse, ut Euangelium etiā prædicaretur in gentes. Hoc enim difficile creditu erat, & admodum ægre persuaderi poterat Iudæis, extra regnum Israel ulla alia gentem esse populum Dei, cum tota scriptura tot locis testetur solum Israellem, & semen Abraham esse electum populum, esse peculum & thesaurū Dei, solisq; Iudæis legem Deus, cultum, uerbum et prophetas dedisset. Hoc adeo sibi non patiebantur extorqueri Iudæi, ut ob eam unam causam, Paulus epistolam hanc insignem scripserit ad Romanos, ubi tanto acumine, tot testimonijs scripturæ, tot firmis & potentibus argumentis euincit, Deum non esse solum Iudæorum Deum, sed & gentium. Id enim in hunc diem obstat Iudæis, quo minus credant gentes æque esse populum Dei ac Iudæos. Eiusmodi affectus & Iudæicus zelus hic quoq; est in Iona, & conijcitur optimus uir in tantam mœstitiam & luctam, ut primū hac uehementissima tētatione castigatus, adeoq; externæ rei hederæ scilicet similitudine & magifico miraculo Dei eruditus, tandē discat Deū non reijcere urbem gentilem Ninuē, & habere Ni
niuitas.

niuitas pro populo. Quemadmodum nunc Christus discipulis suis condonauit carnalem illum affectum de prædicando regno Dei solis Iudæis: ita etiã Ionæ condonat suas carnales cogitationes. Nam, ut exemplo utamur domestico & recenti, quàm difficile nobis hætenus fuit credere ullum esse usquã Christianum, qui non esset sub Papa, cum tamen pro primatu Papæ nullum firmũ scripturæ locum, sed tantum humana commenta, & scripturã impudenter detortam haberemus. Quid futurum erat, si pro Papatu, tam clari, aperti, & firmi scripturæ loci extarent, quales infiniti pro Iudæis extant, quæ tunc pro abominatione mera habituri essemus Turcas, Iudæos, gentes, & solum Papatum defensuri. Ita quoq; accidit Ionæ in Iudaismo et regno Israel. Atq; hoc est, quod quarto capite dicit se ideo fugisse quia sciret Deum esse misericordem &c. Quibus uerbis satis indicat se moleste ferre tantam esse misericordiam Dei, ut Niniuitas quoq; respiciat, ideo Ionas ait malle se mori, quàm eam gratiam quæ proprie promissa erat Israeli, prædicare, & uulgare in gentes, quæ neq; Verbum Dei, neq; cultũ, neq; prophetas habebant, sed ut abominabiles Idololatræ toti contra Deum, Verbum Dei, & populum Dei esse uidebãtur. Sic autem affectum fuisse Ionã, ex hoc clare patet, quòd Deus hanc eius carnalem

I N I O N A M

cogitationem & indignationē obiurgat, Non parcerem, inquit, Niniue &c. Vbi satis indicat Ionam moleste tulisse, & ideo stomachatū, quōd Deus parceret urbi, & non funditus euerteret, quemadmodū ipse prædicarat, & iam expectabat. Sic hæc historia debet nos maxime consolari, & docere uim diuinæ bonitatis, non facile scilicet iudicandū esse aut desperandum de ullius hominis salute. Ionas enim adeo implicatus hæret hac prosopolepsia, ut Niniuitas præ Israele planè contēnat, ideo etiā audacter & confidentissime eos ut peccatores abominabiles, damnans ac prorsus desperans de eorū salute, nihil expectat quā certissimū eorū exitium. Cogitat enim sic quomodo Deus respiceret hos peccatores, qui neq; legem, neq; cultum Dei habent. Si autem ipsi quoq; sunt participes gratiæ, quid tunc profunt Israeli, lex Mosi & tot ceremoniæ. Si enim Iudæi non habent prærogatiuā præ gentibus, quis tunc usus est legis aut ceremoniarum? aut quid Iudæi pondus diei portant et æstū, cum gentes sine tali labore nihilominus accipiant denarium? Quis non iure hic murmuraret? Impossibile enim uisum est Ionæ, ut Deus præ Iudæis gentes respiceret.

Sed uide quā turpiter hic errat, longissimeq; fallitur hic tantus propheta. Nam dum putat fieri non posse ut Deus respiciat Niniuitas, & alienissi-

mos esse à Deo & gratia, nihilq; ibi esse, quàm irā,
 ibi maxime exerit se bonitas Dei. Et quos putat a-
 uersaturos et minime audituros Verbū Dei, hi sum-
 ma humilitate, & summo cordis ardore accipiunt
 Verbum. Discit ergo tantus propheta nunc primū
 per experientiam, neminem esse iudicādum, de nul-
 lius salute esse desperandum, fallereq; carnalem il-
 lam & Iudaicam cogitationem, quasi Deus perso-
 nam, modum, tempus, meritum, aut quicquā eius
 modi respiciat. Secundo, ut discamus non diu dispu-
 tandū esse de uerbis aut operibus Dei, sed rectā se-
 quendū esse, quo nos diuinæ uocis iussus ducit. Neq;
 enim hæsitare debemus, aut inquirere quare Deus
 hoc iubeat, nec hoc exigere ad examē rationis, neq;
 morari quòd absurdum uidetur in oculis nostris,
 sed obedire debemus, & libenter stultescere pro-
 pter Deum, eiq; prolixè, & tribuere laudem sapi-
 entie & iustitiæ, in omnibus uerbis & operibus.
 Quemadmodū Abrahā fecit, qui cum iuberetur im-
 molare filium suum Isaac, non consyderauit quā
 hoc priori promissioni pugnaret, qua dictum erat,
 in Isaac uocabitur tibi semen &c. quia quo diutius
 secundum rationem disputasset secum, eo longi-
 us aberrasset à uero & uoluntate Dei, & eo fa-
 cilius prolapsus fuisset in inobedientiam. Sicuti hic
 accidit Ionæ, qui dū accuratius confert inter se pro

IN IONAM

missiones factas Israeli, & Ethnicismū impium Ni-
niuitarum, & omnia expendit circumspecte, maxi-
me offendit per inobedientiam Deum. Si autem sim-
plici corde sic cogitasset, quid ad me? quod Deus
Israeli dedit legem, cultum Dei, & prophetas Ni-
niuitis non dedit, tamen diues est in omnes, & u-
trinq; potest saluare, tamē potens est Israëlē iustifi-
care absq; operibus & Mosaico cultu, & Niniuitis
non imputare suum Ethnicismū. Quid ad me, quod
Israeli dedit legem, alijs gentibus non dedit. Quilibet
maneat ut uocatus est. Misericordia nihilomi-
nus ex æquo continget & his qui sunt sub lege, &
qui sunt sine lege: quemadmodum Paulus Rom. 4.
docet. Sic Ionas mansisset obediens, quemadmodū
& Abraham obediens fuit.

Et Dominus suscitauit uentum
magnū, & facta est tempestas ma-
gna in mari, & nauis &c.

Hic propter peccatum unius, reliqui omnes dāt
pœnas, nam propter Ionam exoritur hæc tempe-
stas. Sed forsā quæras nū inustus sit Deus, qui pro-
pter alienum peccatum in alios animaduertit. Re-
spondeo, Deus non potest esse iniustus, neq; à quo-
que accusari potest Deus. Nemo enim nostrum le-
gem habet præscribere Deo, aut mandare ei. Vbi au-
tem non

tem non est lex, ibi nec prauaricatio, nec quicquā in-
 iniustum. Verum, quāuis propter unum Ionam
 hæc tempestas oritur, quemadmodū fatetur & res
 indicat, tamen ideo reliqui non sunt prorsus inson-
 tes, aut plane sine peccato. Nam utiq; sunt homi-
 nes natura filij iræ, rei dānationis & mortis ex ute-
 ro, quos Deus singulis momentis ex solo originis
 peccato damnare posset: nam quis coram Deo mun-
 dus est? Ideo simul corripit eos cum Iona, quāquā
 Ionæ in primis causa sit. Et haud dubie tēpestas su-
 bita fuit, quæ repente ex improviso ingruens, atto-
 nitos reddit omnes. Cum textus clare dicat, quōd
 Deus maximū uentū proiecit super mare. Sic enim
 sonat Hebræum uocabulum, quasi diceret, proiecit
 tanta uiolentia, tanto impetu irruit tēpestas & uen-
 tus, quasi subito proiectus et rotatus esset. Ideo etiā
 mox sentiebant præter naturam hanc insolitā ex-
 ortam esse tempestatem, ideo & uehementer ter-
 rentur, & protinus cogitant, unum qui una in naue
 uehere peccasse, ideo & Ionas mox sentit se peti-

Et timebāt nautæ, & clamabāt
 unusquisq; ad Deum suum, & ia-
 ctum fecerunt.

Hic uides uerum esse, quod Paulus Rom. 1. dicit,
 quōd de Deo cognosci potest & c. manifestum est

in illis, Deus enim illis manifestauit. Nam omnium hominum mentibus hoc insculptum est, ut cognoscant esse Deum, & naturalis ratio, quæ communis est omnium hominum, sentit diuinitatem esse, excellens & maximum quiddam præ omnibus creaturis.

Huius rei hic argumentum habes, quod hi Eibnici Deum inuocant, quibus tamen nihil prædicatum est de Deo. Nam si prorsus nulla fuisset in eis cognitio Dei, quomodo in necessitate inuocassent Deum, aut clamassent ad eum. Quanquam nunc non uere credant, nec cognorint Deum, tamen illa cognitio generalis est insculpta ipsorum mentibus Deum esse, eiusmodi quandam summam substantiam, quæ terra marique iuuare possit, et omnibus necessitatibus. Hæc scintilla & cognitio scilicet, quod omnes homines natura sentiant esse aliquem Deum, omnium hominum cordibus est insita, nec unquam, ne in impijs quidem, potest prorsus deleri aut extinguui. Fuerunt quidem & ætoli quidam, qui palam negarunt esse Deos, ut Epicurei & Plinius, hi & similes oretenus negant, & quasi uim inferentes nature, ipsi hanc scintillam in corde suo conantur extinguere, & hi qui dem haud aliter faciunt atque illi, qui aures ultero obturant ne audiant, aut oculos claudunt ne uideant Solem. Sed tamē non sunt excusabiliores, nam conscientia eorum intus reclamat aliud, nam Paulus nō
mentitur

mentitur cum dicit, Deus illos manifestauit, adfirmans aliquam in omnibus esse cognitionem Dei.

Hic autem discamus etiam, quatenus lumen nature et ratio assequatur, quid de Deo sentiendū sit. Nam hic aliqua ex parte recte sentiūt hæ gentes de Deo, ipsum esse tale numen, quod ab omni malo eripere possit. Ex quo cōsequitur, naturalis ratio confiteri cogitur à Deo omnia bona prouenire. Qui enim à malis omnibus eripere potest, ille etiam bona omnia potest donare. Eatenus igitur procedit lumen nature et ratio, quòd Deū fatetur esse, deinde bonum, clementem, misericordem, erga omnes beneficium esse sentit. Hoc sane magnum lumen est, sed tamen hæc adhuc non est uera cognitio Dei, duo enim desunt. Nam rationalis aut psychicos homo, sentio quidem Deum esse tam potentem et sapientem, et in omnibus periculis iuuare, et omnia bona donare possit. Quod autem paterne erga nos sit affectus, et propensissima ac optima uoluntate erga me, qui nunc affligor, hoc non potest assequi natura, ibi nihil certi apud se statuere potest humana ratio. Potentiam igitur utcunq; sentit et agnoscit, sed de bona uoluntate Dei dubitat. Nam tempore afflictionis rationi nihil minus uidetur esse uerū, quàm ijs quibus male est, bene uelle Deū. Huius rei uides hic argumentum in illis gentibus, nam clamant ad Deum,

I N I O N A M

fatentur Deum quidem posse iuuare, si uelit. Cre-
dunt etiã quòd alios forsan bonos iuuaturus esset,
tatenus enim & non ultra euadit humana ratio.
Quod summis igitur liberi arbitrij & rationis ui-
ribus omnino fieri potest, hoc faciunt miserrimi illi
& naufragi homines, & tamen non cõstanter con-
fidunt, neq; credunt Deum uelle subuenire, quia si
hoc crederent, tunc non per desperationem iactu-
ram facerent, non sic anxij & conterriti accurris-
sent ad Ionam, exhortantes ut Deum suum inuoca-
ret, sed in silentio & patientia expectassent auxi-
lium Dei. Adhæc si qua fuisset in eis fides, consili-
isset ad preces credentium mare & esset tranquilli-
tas. Vera igitur cognitio Dei est, quæ certo statuit
Deum non modo alios, Petrum & Paulum, sed &
me qui nunc affligor, mera bonitate uelle iuuare. Ea-
demum est uera fides, & excellens ac incomparabi-
le donum spiritus sancti, ut in Iona uidebimus.

Secundo, discamus rationem quidem cognosce-
re, quòd sit aliqua diuinitas, at tum demũ falli, cum
incipit statuere quis, aut ubi sit uerus Deus. Per le-
gem nature igitur mentibus insculptam, sentit ra-
tio Deum esse. Quis autem sit uerus ille Deus, hoc
ignorat. Sic Iudæis quoq; contigit, cum Christus uer-
saretur in terris, et Iohannes predicaret, In medio
uestrum stat, quem uos nescitis &c. Sic quidẽ apud
se statue

se statuebant uerum Mēſſiam iam in medio populū
eſſe, quis autem eſſet ille Chriſtus, ibi fallebantur.
Nam Ieſum illum ex oppidulo Nazareth eſſe Chri-
ſtum, hoc ipsis ne in mentem quidē ueniebat. Sic ra-
tio quoq; incerto quodam & cæco iudicio, de diui-
nitate pronunciat, & ubiq; impingit, ubiq; turpiſſi-
me fallitur, ut hoc uocet Deū, quod non eſt, e contra
neget eſſe Deum, quod uere eſt Deus. Nihil autē ho-
rum faceret, niſi per legem naturæ, ſentiret Deum
eſſe, aut ſi certo ſtatueret poſſet, ubi & quis eſſet ue-
rus Deus. Ideo temere irruit ratio, tribuitq; nomen
& gloriam, diuinitatis rebus, quas ipſa eligit, atq;
ita longe aberrans à uero Deo, ſuas opiniones &
uanos cogitatus ſequitur, & deluditur à Sathana.
Proinde lōge differunt ſcire quòd ſit aliquis Deus,
& ſcire quid nam, et quis ſit ille Deus. Prima cogni-
tio inſcripta eſt omnium mentibus per legem na-
turæ. Alteram tantum docet ſpiritus ſanctus.

Exemplum in Papiſtis, monachis & ſimilibus, illi
habent euſmodi quandam opinionem de Deo, quaſi
Deus ſit tale quoddam numen, quod delectetur &
placari poſſit noſtris bonis operibus. Quare etiā il-
lam uarietatem & tantum ſplendorem cæremoni-
arum in templis, tot ſectas, tot cultus, tot genera ui-
tæ inuenerunt, quibus inſeruiant & placeant Deo.
Cum nunc talis Deus, tale numen nuſquàm ſit, quòd

eiusmodi rebus delectetur. Cedo, quid illi aliud adorant, quàm falsam opinionem, & idolū cordis suis. Nam quòd ipsi somniant non est Deus, aberrant igitur cogitationes & corda ipsorum à uero Deo, & sunt uacua spiritu, & cognitione Dei, & huic suæ cogitationi, & conceptæ imaginī tribuunt nomen & gloriā Dei. Sub ea autē falsa opinione de Deo, latet Sathan, qui eam suggerit.

Nam Deo unico & uero non seruitur operibus, sed uera fide & corde puro, & is suos credentes gratis absq; operibus & meritis iustificat. Hoc tales hypocritæ non credūt, ideo etiam prorsus ignorant Deum, & contemnunt, & à uera cognitione Dei longissime aberrant.

Hic uides originem omnis Idololatriæ in mundo, & qua in Germanico Idolū & Idololatria, abegot, & abegotterey appellantur, haud dubie nulla alia causa, nisi quòd eiusmodi concepta opinio auocat nos à uero Deo, uerāq; religione. Nam cum quilibet hypocrita adoret Idolum cordis sui, putat hunc esse cultum Deo gratum quem ipse somniat, cum tamen Deus non sit sic affectus, neq; hoc cultu delectetur. Ideo tot sunt Idola in mundo, quot sunt eiusmodi hominū cogitationes, quasi hoc uel illud Deo placeat, cum tamen tantum unus sit cultus Deo placens, nempe uera fides, quam in cordibus operatur
spiritus

Spiritus sanctus. Sic tēpore regis Achab, cœpit Idolatria Baal. Nam cum rex sciret unum esse Deū, cogitauit illum Deum talem esse, qui delectaretur eiusmodi cultu, qualem tum cœperat, & sic Deum uocauit Baal, & e contra sub nomine Baal seruiuit Deo, sicut hoc ex Osea cap. 2. apparet. Ita rex Hieroboam putauit Deum esse talem Deum, qui delectaretur illis statuis aureis uitulorum, & hoc cultu: & uitulos uocauit Deum Israelis, & e contra Deo attribuit uocabulū uitulorum. Perinde ac si iam Papistæ Christum Dominum nostrū uocarent Germanice Kappenhold, uel Plattenhold, eo quod cogitant eum talem esse Deum, qui cucullis Monachorum & caluitio uel rasis uerticibus delectetur, qui talibus ceremonijs, tali cultu placetur. Nam licet illi ore eum non sic appellitent, tamen corde & affectu hoc titulo eum insigniunt. Nam talibus suis somnijs Papistæ longe aberrant à uero Deo, & ex Christo faciunt merum Idolum. Sic falsorum cultuum et Idolorū infinitus est numerus. Quot enim sunt somnia, cogitationes & bonæ intentiones, tot sunt Idola, & non est uera religio aut uerus cultus, quàm fides. Cum autem talis Deus, qualem humani cordis somnia fingunt aut formant, nullus sit, seruitur his cultibus Sathane, & non Deo.

Sic hic uides, quòd hi homines in nauī omnes qui-

dem sciunt aliquem esse Deum, sed nullum certum Deum habent. Nam quilibet (inquit hic Propheta) inuocabat Deum suum, id est, Idolum cordis sui, et hoc humane mentis somnium de Deo. Ideo etiã omnes aberrant à uero Deo, & habent mera Idola sub titulo & nomine Dei. Ipsorum igitur fides & inuocatio non erat fides, sed uana & uaga cogitatio de Deo & Idololatria, quæ nihil eos extrema iam patientes iuuabat. Nam cum ipsorũ Deus non sit Deus, ideo frustra eum inclamant, et in necessitate tanta deserti prorsus desperant, planeq; stupefacti & dubij, ubi inuentant aliquem Deum qui ipsis auxilietur: descendunt ad Ionam, quem repente excitantes, obsecrant ut suum Deum inuocet, si forsitan sit aliquis alius Deus, quàm is de quo ipsi somniãt, qui naufragos seruare possit. Ibi uidemus hypocrisim, somnium cordis humani, breuiter falsam fidem eiusmodi tentationibus mortis non consistere, sed deficere, ibiq; in tantis terroribus ac pauoribus amitti Deum & fidem, Idolum & fidutiam Idoli, ut nihil maneat quàm pauor & desperatio.

Ideo solus uerus ille & unus Deus iure gerit hunc titulum, adiutor in tribulationibus, Psal. 10. & 45. quia solus potest è morte eripere, Psal. 67. Proinde uides etiam quàm humiles & deiecto animo sine in nauis homines, sic ut in necessitate ad Ionam curant,

rant, quem tamen paulò ante mari adhuc tranquillo contemnebāt, & si ante rescuiſſent eſſe Iudæū, adhuc contemptiorem habuiſſent. At occurrente neceſſitate, cum ab Idolis ſuis deſeruntur, quàm repente & amice complectuntur hunc uilem & miſerū Ionā, quàm fiunt ei ex animo ſuppluces, quàm ibi cito obliti ſuorum Idolorum, & omnis religionis ſuæ, tantum apud Ionam quærunť opem. Sic faciunt omnes hypocritæ, rebus ſecundis nihil eſt illis arrogantius, nihil ſuperbius, adeo ut ſupra Deū, et omne quod Deus uocatur ſeſe efferant, & quouis ferro, quouis adamante ſunt duriores. Verū ubi incidit aliqua calamitas aut periculi metus, tum ſubito uideas illos Gygātes turpiter cadere animis, plane ἐξ ἀπορίας, ut nulla mulier ſit illis pauidior. Ibi tum ad ſybilum aridi folij terrentur, ibi tum apud omnes ſine discrimine, ſint amici uel inimici, opem & auxilium quærunť.

Jonas autē interim dormit in interiore naue, nec ſentit hanc tempeſtatem. Iſte tam altus ſomnus, præ ambulū mortis potius meretur dici, quàm ſomnus. Nam & Jonas non multo poſt, ueras mortis anguſtias, & horrendos pauores expertus eſt. Sed ſic ſe habet res initio cum peccatoribus, et Deus in hunc modum differens pœnā, aliquandiu diſſimulat, quæ admodum hic facit cum Ionā. Jonas ualde grauitè

IN IONAM

peccarat. Interim autem quod Deus silet, & non infligit poenas peccati, tum ea est peccati natura, ut hominem obstinatorem & hebetiorem reddat, ut sine timore Dei securus, quasi alto somno consopitus stertat, nec uideat quanta tempestas impedeat, quæ eum repente excitatura sit. Deus autem ideo extrahit poenam & ultionem, ut probet & tentet nos an uelimus conuerti, & quid sit in filiis hominum, ut Psalm. 10. dicit, Palpebræ eius interrogant filios hominum. At ibi nulla sequitur conuersio, nulla resipiscentia. Ionas quamuis peccarit grauius, dormit & stertit, et perpetuo sic securus esset, nec unquam cogitaret de magnitudine sui peccati, si Deus sileret. Hoc enim innuitur hic, quod Ionas in maxima hac tempestate, tam profundo somno consopitus stertit, & in interiori nauis parte iacet: significat hac imagine Deus Ionam plane occæcatum, obstinatum, & peccati quasi lethargo quodam obrutum esse, nunquam agnosciturum quid patrarit, nisi Deus sic reum ageret, et percuteret conscientiam. Nam ea natura est peccati, quod magis hebetet & occæcat hominem, nulli motus sunt ad bonum in uiribus liberi arbitrij aut rationis, qui ibi uincere peccati uim possunt. Sic hic quoque iacet, & quasi peccati sui quodam somno consopitus Ionas stertit, nihil uidens nec sentiens, quantus furor diuine indignationis

tionis ei impendeat. Sed cum naua eum excitat,
 & iubet eum inuocare Deum suum, ibi per omnia
 alium uideas Ionam, ibi primū, ueluti subito & hor-
 ribiliter conterritus sentit iam suo iugulo admotam
 rompheam diuinæ iræ, nec oblitū esse Deum quid
 admiserit Ionas. Ibi secum luctari incipit conscius
 sceleris animus, ibi primū, ueluti repente erumpens
 ignis, reuiuiscens peccatū, incipit scuire, furere, &
 aestuare, ibi letale telum, ueluti diuina dextera con-
 tortū, hæret fixū in corde Ione, ut nihil quàm mor-
 tem & iratum, ac per omnia damnantem Deū sen-
 tiat, ibi primum uere fugere, & totus stupefactus
 quo in cælo aut terra fugiat aut hæreat, nescit tri-
 stissimus, & miserrimus Ionas. At qui tantus san-
 ctus inquis, hic confidenter inuocat Deum? Inuoca-
 ret autem sic totus exanimatus metu, sentit enim et
 conscientia illi suggerit, se hac tam horribili tempe-
 state & manifestis diuinæ iræ signis peti. O quàm
 per omnia ex animo humilem & submissum se ge-
 rit sic percussa mēte Ionas. Omnes quotquot in na-
 ui sunt, etiam Ethnicos illos insontes pronuntiat, et
 non ducit esse peccatores, omnes sanctiores se esse
 ducit, nullius peccatum uidet præter quàm suum. Sic
 enim affectus semper est, tētatus & afflictus homo,
 cum tentatio urget & scuit, cum conscientia tenta-
 tionis impetu quatitur, omnes homines existimat se

sanctiores, & tantum se esse peccatorem, ibi tantū
super se solum putat inundare totum mare, iræ &
furoris diuinæ, iuxta illud Psal. Omnes fluctus tuos
induxisti super me: nec esse ullum alium qui sic op=
pressus & obrutus sit tanto diluuiō iræ, sed se so=
lum & unū esse sub magnitudine iræ conculcatū et
pessundatū, & mœstissimū ac miserrimū sub sole.

Eundem in modum operatus est in Adam & Eua
cum peccarant. Nam nisi audissent uocem Domini
Dei, deambulantis ad auram & c. nunquā peccatū
agnouissent: cum uero audiunt, abscondunt se. Ge=
ne. 3. Sic etiam Petrus cum negasset Christum, pla=
nè etiam obstupuit, nec sensit se aut peccatum suū.
Stertebat enim eodē somno securitatis, quo Ionas:
at cum Christus eum respexit, ibi primū sensit pec=
catum & fleuit amare. Sic uidemus hic exemplū,
quomodo peccatum hominē excæcat, & planè ad
omnem sensum iræ, aut bonitatis Dei stupidum red=
dit, ut plane securus & sine Deo sit, donec Deus
hoc modo excitet, ut sic homo pauefactus & cōter=
ritus, clare uideat & se & liberum arbitrium nihil
esse quā aridum folium ad turbinē iræ diuinæ.

Cum nunc Ionas non inuocat Deum suū, sed pa=
uescit & contremiscit ad hanc tam horribilem fa=
ciē iræ diuinæ, iamq; in media mortis angustia, om=
ni momēto illum deuoraturus, misere trepidat, que
undiq;

undiq; eum implicatum & constrictum tenet. Cum etiam illi homines frustra inuocant Deos suos, & omnia tentant. Ionas sentit quidem, & nimis sentit propter se hanc tempestatem exortam, sed tamen adhuc fugit, nondum peccatum ingenue cōfiteatur, & illos omnes qui in nauī sunt, patitur tantis interim periculis & terroribus concuti, donec Deus toto (ut Poëta ait) ponto se opponens Ionæ, missione fortis eum prodit, & magnitudine tempestatis insolita confessionem extorquet.

Hoc quoq; est peccati proprium, ut obmutescat peccator, nec ausit hiscere aut libere profiteri flagitium, quia tunc cum maxime & uehementissime sentitur peccatum, maxime pudet & pœnitet nos nostri, & undiq; immundi quærimus fucum & prætextum. Quemadmodū Adam & Eua perixomata querebant, & omnia citius uidebantur facturi, quàm peccatū prodituri. Dici nequit quàm hoc omnino durissimū & acerbissimum sit, ut cum ipse me accusare debeo, & ipse meum prodere scelus. Et tamen Deus hanc confessionem postulat, aut nulla unquam futura est tranquillitas, quemadmodū Psalm. 32. dicit, Cum obticerem peccatum, inueterauerūt ossa mea &c. Sic Dominus quoq; iubet filios Israel deponere ornatum ante montem Synai, Exod. 34. Hoc demum uere est saccum induere, et sedere in

cinere & puluere, seipsum sic accusare et damnare coram Deo, & si Deus postulet etiam coram hominibus. Quia enim hic Ionas suo peccato homines alios in nauis, in tantos terrores & tantam calamitatem & periculum coniecerat, cogitur rursus facere iacturam, non modo honoris & gloriæ, dum palam ipse prece est sui peccati, sed & salutis & corporis cogitur alios pronuntiare insones, ferre sententiam in seipsum, & sic capitalē tandem nisi one sortis proiectus è nauis, solus ferre tempestatē.

Luit igitur Ionas mirabili iudicio Dei in corpore, in bonis, in iactura gloriæ, et sua ipsius uoce proclamatus peccator, breuiter in omnibus quæ usquam habet, quia proximos suos in eisdem rebus tam grauitè læsit. Ionas igitur illos suos socios inuitos, adduxit in maximū discrimen uitæ & salutis. Ecce contra ipsi Ionas sua uoce ferentem sententiam & uolentem, inuiti proijciunt in fluctus. Næ hoc iudiciū Dei est exactum & mirabile?

Et dixit unusquisque ad collegam suū, Venite & mittamus sortes, et sciamus quare hoc malū sit nobis.

Cum nunc hic nemo sponte uult profiteri peccatum, & tamē omnes in nauis cogitant aliquē esse in eo numero, qui insigni aliquo scelere Deum offenderit

fenderit, tam horribilem tempestatē sic repente immittentem. Cum ibi iure pro tribunali aut foro res discuti non possit, nec ab homine dijudicari, recurrunt ad Dei sententiam, & missione sortis querūt quis reus sit. Ibi haud dubie præ pauore & tremore tantum, non concidit Ionas, ibi proculdubio ad missionem sortis exanimis expalluit (nihil est enim pauidius quàm conterrita mens, quæ etiam sybilum folij cadentis ut tonitru refugit) tot horribiles mortes, tot incredibiles acerbitates, & angustias in se complectitur hoc progymnasma Ionæ, et adhuc ad acerrimum agonem, ad ceti fauces nondiè uentum est. Ecce in tot infinitas miseras cõiicitur, quando peccatum adhuc calare uolumus & contingere, cum duplici damno postea cõfiteri cogimur: sed ea est natura peccati et peccatoris uelle latere. Sic omnes sumus affecti, omnes coram hominibus et mundo uolumus esse iusti, & tamen intus à peccato non desisimus, ideo ferre cogimur, ut ab alijs tandem in lucem proferatur peccatum nostrum, & coram Deo et hominibus pudefiamus. Nullum uulnus potest sanari nisi retegatur, ita nullū peccatū remitti potest, nisi ingenua professiōe hoc patefaciamus.

Hic nunc queritur an illi homines in nauī etiam peccauerint, mittentes sortem, cum sortes mittere prohibitum sit, scilicet ne Deum tentemus. Verum

Ionas hic unā cum ceteris misit eam sortem: ideo si hi qui mittunt sortem, in uitio sunt, & Ionas peccauit. Ad hoc respondeo primum: Sunt quaedam opera quibus bene & male uti possumus, ut iurare prohibet Christus Matth. 5. & tamen licet iurare in iudicijs. Ita irasci & occidere prohibitū est, & tamē magistratui qui gladiū gestat licet animaduercere in flagitiosos. Ideo in talibus operibus est respiciendus affectus cordis. Nam is qui ex quadam carnali libidine iurat, is peccat: qui autem ex mandato aut obedientia Dei, aut aliās ex necessitate urgente, ad commodum proximi ea opera facit, is non peccat.

Eos nunc qui quadam libidine aut prauo affectu iurant aut sortem mittūt, hos missos facimus. Nam hi qui sic sine fide sunt, semper peccant, etiam si flexis genibus Psalmos orent, etiam si diu noctuq; ieiunent, aut miracula faciant. Ideo relictū sit cuiuslibet conscientiae. Nos non possumus hominū introspicere corda. Cum nunc sortem mittere etiā sit tale opus, nihil refert querere an illi homines in nauē unā cum Iona peccarint. Nam aliās fuerant increduli & Ethnici, & aliās omnia ipsorum opera displicuerunt Deo, donec postea conuersi sunt, ut sequitur. Deinde ego adhuc non statuo, quod mittere sortem sit impium. Impium quidem est, & contra praeceptum Dei, tentare Deum: at tentare Deum,
 & sor=

& sortem mittere, ualde sunt disiuncta & diuer-
 sissima. Nam & Apostoli sortem miserunt super
 Matthiam. & Salomon dicit, Sortes mittuntur in se-
 num, & à Domino temperantur. Ibi Salomon non
 damnat missionē sortis, imò confirmat. Quanquam
 aliqui ex scriptoribus contendant hæc exempla nō
 esse imitanda, sed eius sententiæ suæ non afferunt
 firma argumenta. Equidem existimo missionē sor-
 tis, esse opus fidei, quo tamen ex libidine aut praua
 affectu aliqui abutuntur nonnunquam: ut multi abu-
 tuntur iuramento & potestate gladij, sed ibi uitium
 est non in opere, sed in persona, ut dictum est. Ad-
 hæc non probant scripturis illi, quòd sortem mitte-
 re sit tentare Deum. Nam tentare Deum est, quan-
 do ex humana libidine aut curiositate, non cogente
 ulla necessitate, præscribimus Deo tempus certum,
 modum, personam, locū, ut operetur scilicet, & iux-
 ta nostrum captum, & rationi nostræ humanæ se-
 attemperet. Quemadmodū Israelitæ in deserto ci-
 bum & potum postulabant, tunc dari cum ipsis li-
 buit, non credentes, nec ex animo permittentes se
 Deo. Quemadmodum Iudæi Matth. nono, signum
 de cælo postulabant: at in missionē sortis hoc non
 fit, sed ibi duo, aut tres, aut plures paciscuntur &
 conueniunt de aliquo negotio, sorte finiendo (ut ua-
 riæ sunt rationes & modi sortiendi) nec eligūt cer-

tam personam, sed permittūt Deo sortis euentum.
 Et de hoc tantum conuenit inter eos, ut ille sit ele-
 ctus à Deo, super quem sors ceciderit. Verum etiā
 sine Deo sortem mitti non inficiamur, ut si gentiles
 mittant sortem qui non credūt eam à Domino tem-
 perari, sed omnia fortunæ tribuunt, ut in tesseriis et
 alea fit, & ludis illis qui in fortunæ sita sunt arbi-
 trio. Christianos autem aliud quiddam decet, nem-
 pe non fortunæ multum tribuere, sed credere quòd
 sors & fortuna Deo in manu sunt. Hæc omnia gu-
 bernanti, Christianos decet certo statuere, quòd à
 Deo datur & eripitur, quicquid sors aut fortuna
 dat aut eripit. Nam & iuramenta sic præstātur &
 acceptantur, quòd Deus creditur adesse, qui iuran-
 tem audit & uidet, & peierantem indicaturus sit.
 Verum, quia non præscribitur ei quomodo iudicare
 debeat, sed res tota permittitur illi, & statuit iura-
 to: non est tentare Deum, iurato parere aut stare.
 Sic etiam in missione sortis, quia non præscribitur
 Deo cui dare debeat ea, super quibus sors mittitur,
 sed permittitur illi sortem gubernāti: nunc mittere
 sortem non est tentare Deum, sed est per se bonum
 opus, & si in fide fit, est etiam commendabile, quòd
 fit ad gloriam Dei. Et cui per sortem aliquid adijci-
 tur, is fit eius rei Dominus, & qui ei eriperet, is
 peccaret grauius contra Deum. Nam quid est sors
 aliud

aliud quàm pactum, ubi de aliqua re uel lucro inter nos cōuenit, ubi commune subimus periculum, quo fors cadat aut feratur, ut scilicet ille habeat uel ca reat, secundum q̄ par impar, uel alia fors missa ceciderit, nisi quòd Christiani hoc addunt, quòd credunt à Domino sortem, ut alia omnia temperari et gubernari, quod Ethnici non credunt. At quid sita lis mittatur fors, per quam quis adiudicatur morti, aut qua alicuius occultum scelus proditur in lucem, ut hic in Iona fit, & quemadmodum Saul facit cum filio Ionatha, & ut Iosua cum Achan, Iosue. 7. Hic respondeo, etiamsi infideles mittant sortem, qua quis morti adiudicetur, etiam si flagitiose abutatur sorte. Quid nostra refert quid hi faciant, qui cum extra fidem sint, nihil recti faciūt. Sortis missio per sese hoc non habet, ut quemq̄; damnet ad mortem. Pij & Christiani etiā in his casibus non mittent sortem. Adhæc hi homines in nauis non cogitāt hac sortis missione, adiudicare morti Ionam, sed quærent tantum causam tam repentinæ & subitæ tempestatis, ideo ne iussi quidem à Iona, eum occidere uolunt, sed appellere conantur ad littus. Cum autem uident se non posse pertingere ad portum, uident hanc sic plane esse uoluntatem Dei, ut Ionas ipse iusserat, & inuiti ac tristes projiciunt Ionam, orantes & deprecantes reatum sanguinis &c. Saul au

tem rex peccauit, quod uoluit occidere filium, non enim sic debebat abuti sorte. Cum Iosua autem secus habet, hic enim habuit hoc uerbum Dei et iussu. Quare autem hi homines non pactum facerent, ut ille haberetur reus super quem sors caderet? praesertim cum necessitas urgeat, et periculum imminentis nauis fragilis, quo tot erant perituri, praesertim cum Deus sit iustus et rectus qui sortem non sinit aberrare. Quemadmodum igitur hi extra culpam sunt, qui illum insontem pronunciant, qui iureiurando sua asserit innocentiam, etiam si forsitan peieret, ita et hoc casu res habet, sed de hoc nunc satis dictum est.

Ego sum Hebraeus, & Deum caeli timeo, qui fecit mare et arida

Hic tandem aperit se coram Deo Ionas, et ingenue agnoscit se peccatorem. Ideo et hic primum incipit uera lucta, ut uere iam in angustijs mortis agonizet Ionas. Sed tamen bonam partem eius agnis decertauit, nam licet nunc fluctus illi irae diuinae, dolores mortis et inferni iam inundent, et magno impetu irruant in Ionam, tamen confessus peccatum utcumque in media etiam mortis angustia, quamuis pressus respirat, et magis audet non desperare salutem. Et quae sub maximo pondere hactenus, et tota mole, totius creaturae pressa gemuit, nunc utcumque se

cunq; se erigit rea lonæ conscientia, & rursus qua-
si per densas nebulas huius tâæ tentationis incipit
tenuissimis scintillis micare fides. Confitetur enim
lonas Deū conditorem cœli & terræ, quod utcūq;
aliquod fidei & salutis initium est. Nam alia impia
& tentationis magnitudine prorsus deuicta, & op-
pressa conscientia, ne hiscere quidem aliquid eius-
modi potest, sed planè obmutescit, aut palàm bla-
spemat Deum. Neq; illa de Deo aliter affici, sen-
tire aut loqui potest, quàm illum seuum esse tyran-
num, & quouis Sathana crudeliorem: uellet igitur
quàm longissime fugere ab eo, uellet nullū esse De-
um, sic prementem, & quouis modo effugere cru-
ciatus. Nescit enim confiteri, nescit agnoscere pec-
catum, talis iam impetu tentationis percussa con-
scientia. Nam sic in angustijs, quasi quodam luto, et
densissimo limo profundi, infixæ et demersæ hæret,
ut nihil sentiat quàm acerbitatem & angustiam ma-
ximam, quam excutere conatur, sed tamen elucta-
ri non potest, & sic misere implicata ac constricta
manet, tum peccati, tum etiam mortis sempiternis
pauorib. ac cruciatibus. Hic ergo discamus ab hoc
exercitatisimo athleta, quomodo gerere nos debe-
amus in graui certamine, maximæ alicuius angu-
stie et tentationis. Nihil enim tunc melius quàm sic
respicere ad peccatum, ut liberrime illud confitear

ris, nam mox senties refrigerium, & aliquam con-
 solationem. Quomodo enim in corporalibus
 morbis & aegritudinibus, ante omnia oportet cau-
 re & mederi cordi, ne obstructis meatibus spirituum
 cor suffocetur, postea toti corpori consulitur eo com-
 modius. Ita in spiritualibus tentationibus ante om-
 nia eo pendere quo premitur, oportet leuare con-
 scientiam, ut respirare possit, & postea omnis aestus,
 tota illa angustia tentationis, fit remissior. Eos enim
 qui sunt in talibus tentationibus irae Dei, & simili-
 bus, duae res maxime premunt, peccatum & crucia-
 tus, ac turbatio quam propter peccatum sustinent.
 Si qui nunc sunt imbecilliores, in exercitatu aut im-
 periti tentationum, hi posthabito peccato, ibi toti
 sint, ut sese explicent ac eruant ab angustia. At ibi
 tum frustra luctantur, non desinente, sed nihilomi-
 nus urente & flagellante Deo: proinde plerumque
 illi succumbunt tentationi & desperant. Errat igitur
 ibi tota ratio, totaque philosophia, hinc illae abie-
 ctae & miserae desperationes magnorum hominum,
 hinc tot mortes uoluntariae. Si qui autem sunt exper-
 ti & exercitati rerum spiritualium, hi in tentatio-
 nibus oculos auertunt à cruciatu & angustia, & in-
 primis solliciti sunt quomodo peccatum confitean-
 tur, quomodo Deum placent, etiam si perpetuo es-
 set manendum in angustia: hi igitur sapiunt, qui se
 peccato-

peccatores agnoscūt, se pmittunt deo, ut hic Ionās.
 Impiorum igitur & hypocritarum hoc propriū
 est, ut pœnam metuant, & solam exhorrescant. At
 peccatum non timeant nec exhorreant, semperq̄
 uellent impune peccare. Hoc autē neutiquā fert
 aut laturus est Deus, sed semper peccatum pœna
 comitatur. Econtra piorū hoc proprium est, ut pec-
 catum solum metuant & exhorrescant, pœnā au-
 tem minus formident quā peccatum, mallent sem-
 per in afflictionibus sine peccato, quā in peccatis
 sine pœna uersari.

Quōd autem Ionas hic dicit, Ego timeo Deum
 cœli: est Hebraismus. Nam timere Deum, perinde
 est ac si dicas, colo Deum cœli. Id quod patet ex E-
 saia, cap. 28. Timent me mandatis hominum, id est,
 colere se me putant &c. Ionas enim illa duo conne-
 ctit, Sum Hebræus, & timeo Deum cœli, cum tamē
 in hanc horam usq̄ Deum contempserit & inobe-
 diens fuerit. Seruio, inquit, Deo, qui condidit cœlū
 & terrā, quasi diceret: Ego colo non alienos Deos
 ut uos & aliæ gentes, sed unum & uerum Deum.
 Atq̄ hic primum magis eminet & proditur pecca-
 tum & flagitium Ionæ, quōd ipse ueri Dei seruus
 ex sancto populo, & sancta terra Iudæorum, præ-
 omnibus his idololatriis gentibus, tam magnus inue-
 nitur peccator, ut propter ipsum illi gentiles in di-

serimen tantum adducantur: cum e contra exempla
 multa sint, quòd propter seruos Dei, alij impij, &
 peccatores seruati, & à multis malis liberati sint,
 quemadmodum regi Ahab, & suis posteris Helias
 & Heliseus saluti fuerunt. Verum hoc inuertitur,
 illic propter bonos parcitur malis, hic impij & ma-
 li luunt, quòd peccauit pius, & fit ita sanctissimus
 pessimus, & primus ultimus. Hinc tam ualde pu-
 det Ionam peccatum suum proderere coram homini-
 bus: dolet enim turpiorem uideri gentibus, & ta-
 men cogitur tandem fateri.

Tollite me, & mittite in mare,
 & quiescet mare a uobis, quia no-
 ui ego, quod propter me fluctus
 magnus &c.

Hic nunc uideamus in Iona, quantum robur, &
 quàm planè diuina potentia sit fides ex corde pu-
 ro, & quanta eius energia. Hic nunc ponitur maxi-
 mum hoc & insigne exemplum fidei, de quo supra
 diximus, quomodo fides omnipotens sit, & inuicta
 contra omnes creaturas. Primum, propter se fate-
 tur hanc tempestatè ortam, ibi intolerabili hac mo-
 le maximi sceleris se unum onerat, reliquos omnes
 exonerans, & alios omnes pronuntiat clara uoce
 insontes

insontes & iustos, tantum se miserum proclamat,
 & accusat peccatorem. Hic non uulgare exemplū
 edit charitatis Ionas, luens quod peccauit in proxi-
 mos, quos in tanta coniecit pericula, & culpam om-
 nem in se ipse deriuat. Hæc tãta charitas inuenit e-
 contra, eos qui uicissitudine respondeant officij. Nã
 illi boni homines non cupiunt ut adeo sese ad pedes
 abiciat Ionas, libenter condonaturi peccatum, &
 contenti hac confessione ingenua, totis uiribus con-
 tendunt appellere ad littus, ut sic charitatem chari-
 tati rependant, sed aliò uocat Deus Iona.

Secundo, portat etiam coram Deo grauem illam
 urentem sarcinam conscientie, de admissio hoc fla-
 gitio, & confunditur coram oculis Dei. Cor enim
 eius & conscientia nunc prostrata & conuicta ia-
 cet, quod grauissime cõtra Deum & homines pec-
 carit. Quam millies & infinitis modis acerbius &
 intolerabilis sit coram Deo confundi, quàm coram
 hominibus, norunt experti tentationes. Nam ibi tũc
 nulla rima, nullus locus aut angulus, in tota creatu-
 ra est, ne in inferno quidẽ, quo possit abscondi, sed
 ibi coram oculis Dei, & quasi aspectante tota crea-
 tura, ut propheta ait, quasi fur deprehensus in fur-
 to, à sese, à tota creatura, & omni sue mentis cogi-
 tatione conuictus, obrutus ac pudefactus stat pec-
 cator. Sic hic non oportet respicere Ionã ut redem-

ptum & rursus receptum in gratiam, sed sic in lū-
to sui peccati lapsantem & luctantem, per omnia
confusum & pudefactum coram Deo & omnibus
creaturis, nec in his tenebris uidentem ullam scintil-
lam consolationis. Nam si corda piorum in tenta-
tionis hora uiderent aut sentirent ullam rimulam
euadendi, non sic caderet animus, non sic pude-
ret nos, non sic discruciaretur conscientia. Deus au-
tem ibi se totum abscondit, & omnem consolationē
occultat, tantum ob oculos uersaretur peccatū &
confusio, tunc ibi nihil est conscientia tali quicquam
miserius, & afflictius.

Tertio, peccatum hic mox consequitur mors, ut
peccati poena, ut Paulus. 1. Corinth. 15. dicit, Lex po-
tentia peccati, stimulus mortis peccatum. Sic hic
Jonas uidet nihil restare quàm mortem, ideo para-
tum offert se morti, & ipse sibi fert capitis senten-
tiā, Projicite me, inquit, in mare, quasi diceret, pla-
nè mihi moriendum est, aut nulla unquam erit tran-
quillitas. Hic iterum non oportet nos respicere Io-
nam, iuxta sequentem seriē historiae. Nam cum nos
totam iam legamus historiam, quomodo postea libe-
ratus sit, uidetur nobis eo leuius periculum & pa-
rum nos afficit. Sed oportet cor & affectus intro-
spicere Ionæ, in hac tanto tentationis impetu quas-
sati, qui hic ne scintillam quidem uitæ aut salutis ser-
tit, sed

tit, sed meros dolores & terrores maximos mortis, ut iam omnem spem uitæ abiciens, uix uocent hanc expallescens & semimortuus exanimis edat, Projicite me in mare. Nam si Deus sic nobiscū ageret in agone mortis, ut ostenderet nobis aliquā scintillam uitæ, aut si animus sic apud se tunc esset, ut concipere posset uel cogitare aliquod omnino in tota creatura spatium quo migraret, aliquam uiam aut modum quo consisteret, aut ubi conquiesceret, breuiter aliquid cui posset inniti, mors non esset tam acerba, sed esset ueluti saltus quidam, per riuulū de ripa in ripam, ubi utrinq; uideas ubi sis, ubi hæreas & possis consistere. Nunc autē mors eiusmodi est conturbatio, ubi è firmo & certo littore huius uitæ desiliendū est in medium mare, ubi nec sentire quicquā, nec uidere, nec ulli rei usquā inherere aut inniti possis, sed tantum sis quo mare & fluctus te auferunt in manu Dei. Quemadmodū & hic Ionas è nauis qua uehebatur, quem sentiebat, projicitur in abyssum, ubi nec uadum nec fundum sentit, sed ab omnibus creaturis desertus, in manu Dei uebitur.

Quarto, portat in media morte iram Deo, nam nimis sentit illam mortē, non ex gratia, sed indignatione Dei sibi infligi. Mortem quidē forsā ferre tolerabilius fuisset, si simul nō premeret, & penē opprimeret miserum Ionam irā Dei, cum propter no-

I N I O N A M

men & Verbum Dei ad mortē condemnatur, iniuriam tyrannorum, ut plerisq; martyribus contigit, mors tolerabilior & iucunda est. Nam ibi martyres certi sunt per iniuriam se pati, & cum causa sit optima, nihil dubitant Deum ipsis bene uelle & fauere, & agnoscunt hanc crucē & mortem nō per iram, sed bona Dei uoluntate immitti. At ubi meus animus meipsum coarguit, ubi ipse mihi sum conscius me commeruisse mortem, ibi mortis acerbitatem auget, horribilis metus iræ diuinæ, totāq; mentem euertit & conturbat, ut nihil in me quā mortem & iram sentiam & inueniā. Ista quatuor nunc si singula per se expēdas, uide an non singula tam graua sint, ut uel sanctos pios frangere possit, nā impij non possunt ibi perdurare. Quis enim tam est fide robustus, ut hilari animo, aut tranquillo corde esse possit, si tantum uere sentiat irā diuinam, etiā si corpus non moriatur. Plerosq; Ethnicos hic incredibilem mœror, & hæc tanta mœstitia egit in furorem, ignaros quo igne torquerentur miseri, aut quid paterentur, multos uero ad restim adegit: deinde, quis tam infractus, qui mortis conspectu non ualde perterrescat aut expallescat, etiam si ignoret quid sit ira Dei? ut Ethnici: aut etiam si gratiam Dei, & placatum Deum senserit, ut spirituales & sancti. Ideo nulla est grauior, durior, aut molestior
 sarci

sarcina sub coelo, quàm uere sentire uim peccati, & uel uno momento experiri ream conscientiam. Planè supra humanas uires est, ferre hanc tantam tristitiam, ut primum coram Deo confundaris, deinde extreme tibi displiceas, neque aliter intus sentias, quàm omnibus creaturis te & abominabilè & inuisum esse. At hunc miserum & afflictum Ionam, hæ tentationes horribiles, simul quasi uiolentus fluiuius obruunt, & misere urgēt, ac penè oppressum sic submergūt, ut propè fide euersa adigatur ad desperationē. Superat planè humanæ rationis captū, & uerbis exprimi nequit, cuiusmodi ibi æstus et mirabilis lucta in afflictissimo Ionæ corde fuerit, non sit mirum si in hoc tanto agone Ionas quoq; sanguinem exudarit. Hic enim miser & tristissimus Ionas contra peccatum, contra accusantem propriã conscientiam, contra diluuium pessimarū cogitationū & imaginationum cordis sui, contra inualescentē & iam sibi incumbentem iram Dei, unus obnititur & solus decertat. Ibi haud dubie salus Ionæ tenuissimo pependit filo, & (ut Psalmus ait) non longè absuit à portis inferi & æternæ damnationis. Hic optarim mihi non deesse uerba ad adumbrandū uel tenuibus lineamentis hoc tantum fidei robur, quòd his inferi portis præualuit, adeoq; quòd ibi contra tantum impetum perstitit. Nam quòd in fide con-

I N I O N A M

stans permanserit Ionas, ostendit hæc magnifica & excellens euasio & liberatio. Deus enim nullū incredulum aut impium, tam nouo & per omnia excellenti miraculo è media morte eripit. Ad hæc Ionas fatetur se seruum Dei, & merito se contempti Dei poenas dare fatetur, quod nulli omnino sapientes mundi aut philosophi possent, sed rectè præcipitarèt se & abijcerent in desperationis baratruū.

Præterea ad hæc tanta mala & hæc accedit noua calamitas, quod è nauis in mare abijcitur, ibi ei crudeli, & lento quodam mortis genere soli perendum est, ibi nemo est qui consoletur in tanta moestitia, sed nauis cum suo cursu abit, Ionas in medio mari relinquitur, ut certo nūc submersus et mortuus.

Sexto, ne sic quidem miseriæ finis est, ne in mari quidem mori datur misero, nec satis est ut una morte pereat, sed horrendis ceti faucibus tantillus bolus absorbetur. Et eo ipso crudelissimum, & quasi implacabilem ostendit se Ionæ Deus, quasi furore nunquam desituro, quasi ea poena, ad quam ultro se obtulit Ionas, non contentus, adhuc grauiorem & seuiorem quærat uindictam. Nam immanis ille ceti rictus, haud dubie nihil aliud, quàm horribilis mortis facies fuit misero huic & tantis pauoribus confecto Ionæ: cum enim oris uidit immanem hiatus, & dentes ordine fixos, quasi trabes aut acuminatas
tas co=

*tas columnas: cum uidit illam altissimam & obscu-
 rissimā gutturis cauernā, quid aliud quā in infernē.
 uidit? Scilicet hoc est in morte consolari? scilicet sic:
 Deus prope est contritis corde? hāc ne facie se of-
 fert Deus suis pijs, iam in morte luctantibus? Sed
 planē diuina & omnipotens potentia fides est &
 aeterna, ac insuperabilis uita, ideo & in maximis,
 mortis ac inferni difficultatibus, et illa extrema re-
 rum desperatione uires suos exerit, adeoq; tūc pri-
 mum resumit. Velle igitur perfectioris & exerci-
 tate fidei in aliquo magno sancto, imaginem tibi o-
 stendi. Huc huc ad Ionā in ceto aduerte oculos, hic
 fidem quasi in acie stantē, & credentis cordis per-
 fectam formam cernis. Hęc enim tanta (si nescis) in-
 fracti animi firmitas & constantia, hęc tam certa
 persuasio, Deum ueracem esse, fides est quam do-
 cemus. Hic tantus agone, & uictoria in agone, non
 uirium humanarum est, sed fidei robur & summus
 gradus. Hoc est illud inuictum robur, sub infirmit-
 tate absconditum. Et hic Deus ostendit quā ue-
 ra fides, sic adherens Verbo Dei cōtra omnes cre-
 aturas, adeoq; ipsam diuinam iram inuicta sit, etiā
 si omnes tentationum fluctus semel inundēt. Voluit
 autem Deus, ut Ionas toti mundo cordis sui intima
 aperiret, & palām affectus animi sui nobis prode-
 ret, ut uideremus cuiusmodi agone, omnū creden-*

I N I O N A M

tium corda in similibus tentationibus exerceantur, ut posthac audiemus. Quemadmodum enim omnes maris fluctus Ionam adobruunt, & quemadmodum horribilus ille rictus beluæ, totaq; illa facies minatur interitū: ita tentata conscientia incredibili tempestate diuinæ iræ & mortis quatitur, omniaq; sic apparent quasi infernus in ictu oculi animam iam hausurus sit.

Et fuit Ionas in uentre ceti tribus diebus & tribus noctibus.

Quid putas, an non anno, an non centū annis, an non seculo longius uisum est ei hoc triduum? Si Ionæ cogitationes respicias, nullæ unquam dies aut noctes sub sole longiores fuerunt. Nam haud dubie nullum unquam tempus, nulla mora fuit molestior Ionæ, quàm quòd ibi in stomacho ceti, & simul in medijs tenebris, deuoratus & absumptus & tamē non consumptus iacuit. Quasi iam proiectus in infernum uiuus perijt ibi Ionas, non uidēs Solem neq; Lunam, non numerans horas neq; tempus, ignarus an hoc in mundo, an extra mundū ibi in tantis squalloribus uiscerum beluæ circumueheretur. Cuiusmodi putas terroribus cor eius percussum sit in uentre beluæ, dum nunc iccinoris immane pondus sibi incumbere, nunc pulmonis flatu & reflatu se uerberari

rari sensit. Quid usquàm hoc habitaculo Ione, inter spiras, ibi & sinuosa uiscerũ uolumina inter ingentes costarum crates potest excogitari prodigiosius aut mirabilius? At haud dubie Ionas fuit sic tunc pauoribus mortis obrutus, ut se nescierit, ut nõ multum meminerit quid in piscis corpore pateretur, semper autem cogitarit, timens & tremens, Psal. 6. Domine usquequo ero in tanta morte, & quando erit finis. Nam Deus bone, quàm mirabile hoc opus est Dei? Quis uerbis aut cogitationibus hoc assequi potest, hominem uiuum, & spirantẽ tribus diebus, tribus noctibus, solum, desertum, nõ modo cibo, potu, sed & communi luce & aẽre carentem, per tot maris tractus in uentre immanis beluæ circũuectari, & tandem in littus uiuum reuomi. Quid nouũ, quid inauditum est, hoc si non nouum genus est nauigationis? Quis non fabulosum, & quouis mendacio uanius hoc diceret, nisi in scriptura sancta hoc cõtineretur? Voluit ostẽdere Deus, quàm potenter et q̃ facile uiuare et mirabiliter possit seruare et eripere suos in media morte, omniumq; maximis & extremis periculis, tunc cum omnibus humanis auxilijs deserimur, quod tamen nos non adeo facile credimus. Ipse enim præsens est in media morte, in inferno, in medio hostium, fingens etiam & resingens eorum mentem & intimũ cogitatum, ut uult.

Ipse omnia condidit, omnia dispensat & gubernat, omnesq; creatura eius parēt sempiterno imperio. Propter nos autem hoc scriptū est, & propter nos tam mirabili exemplo ostenditur eius omnipotentia, ut in ipsum confidere discamus, etiam tunc cum in media morte, aut in manibus hostiū sumus. Deus non opus habuit, nec Ionas, ut hæc scriberetur, propter nos hæc scripta sunt. Nam licet totus mundus ore tenus fateatur Deum esse omnipotentem, & nemo sit, qui cum audit hunc titulū Dei, OMNIPOTENS, non putet se hoc facile & uere credere, tamen cum ad experientiam uentum est, cum imminente periculo uitæ, salutis, bonorum, iam constanter niti debemus Verbo Dei, cum iam omnipotentiam re ipsa experiri debemus, ibi ipsi nosse nosmet ipsos discimus, quā pauci sunt, qui nixi fide, periculum salutis adire, & omnipotentiam re ipsa experiri sustinuerint. Hæ enim experiētia fidei, quia non sunt sine pauoribus mortis & peccati, spiritualissimis etiam sanctis penè intolerabiles sunt. Sed tamen maxime consolationi sunt pijs hæc exempla, quomodo Deus exerceat credentes. Quemadmodū propheta in Psal. dicit, Domine memor fui operum tuorum, & consolatus sum.

Cum nunc Ionas est proiectus, & sibi & mūdo mortuus, & omnis spes uitæ adempta. Hi enim ho-
mine s

mines in nauī, nō aliter sciunt quā ipsum esse sub
 mersum & mortuum, ideo & orant Deum ne eos
 perire sinat propter animam Ionæ, ne ipsis impu-
 tet innocentem sanguinem: quibus uerbis fatentur
 se Ionam habere pro mortuo, conscij sibi quōd pa-
 rentes diuinæ uoluntati, ipsum quāuis inuiti ē na-
 uī proiecerint. Atq; ibi primū exerit se uita, & fru-
 ctus mortis Ionæ. Primum enim Ionas eo ipso quōd
 projicitur in media morte, potenter uiuus & inco-
 lumis seruatur. Deinde & illi homines in nauī, non
 modo à morte & presenti periculo, sed etiam ab
 impietate & peccato liberantur, & iam cogno-
 scentes Deum, adeo pij et iusti serui Dei fiunt, ut ue-
 re humilientur, atque ibi timeant peccatum, ubi me-
 ra est obedientia Dei. Nam Ionam libenter seruaf-
 sent incolumem, & timent ne homicidæ fiant proie-
 cturi Ionam, & tamen perpelluntur uoluntate &
 manifesto iussu numinis. Quā pijs, puras cōscien-
 tias nūc in his ethnicis uideas: ecce hi qui paulō an-
 te neq; homicidium, neq; contemptū Dei, neq; ullū
 aliud scelus essent reueriti, nūc obliti Idolorū, quo-
 rum culturæ dediti erant, sacrificant, & uota uero
 Deo faciūt. Hoc totū bonū exoritur & nascitur ex
 morte Ionæ: adeo electis Dei omnia cooperantur
 in bonum, ut mors etiam ignominia sanctorū, cum
 ipsis tum alijs cedat in salutem. Quid timorem Dei

uocent Hebraei, supra dictum est, nempe uerum cultum Dei. Verus enim cultus Dei est, Deum uere timere & uenerari: sic hi homines etiam timuerunt Deum, id est, sunt facti serui Dei & iusti.

CAP. II.

Et orauit Ionas ad Dominum Deum suū de uentre ceti, & dixit.

Hoc non est sic accipiendū, quasi hunc Psalmum Ionas labijs & ore cecinerit, aut sic uersibus in uentre ceti lusserit. Neque enim tam trāquilla aut serena mente, in tam horribili tentatione mortis fuit Ionas, ut tunc potuerit tam elegans carmen condere. Sed hoc carmine postea Ionas suas illas angustias & affectus descripsit, cuiusmodi horrendarū cogitationum spectris cor suū tunc quassatum sit, cum sic in hoc tanto mortis agone luctaretur. Nam hic oportet introspicere animū eius, & interiorē illum Ionam intueri, antequam liberaretur, cum adhuc in morte esset, & planē nihil quā mortem & terrores maximos sentiret. Neq; enim sciebat Ionas se redimendum esse, sed putauit iam esse moriendū, uere sensit omnes pauores mortis.

mortis, & indefinenter hoc momento moriebatur. Postea autem cum iam redemptus esset & rediuisus, reuolvente belua, rediisset, tunc retro respiciens, recordatus priores angustias, hunc Psalmi in scriptis reliquit, ut gratias ageret ex corde Deo, et omnibus relinqueret exempli. Hic nunc adsint quidam curiosi, qui sciscitari solent, quid mortui reru gerant. Optant quidam didicisse se uel audisse ex Lazaro, quid senserit, quid egerit, quid uiderit, quid cognorit cum quadriuo mortuus. Quid etiam alij mortui quos Christus & Apostoli resuscitarint, egerint. Et audent quidam inepti de his rebus pronunciare quomodo terribiles imagines uiderint, et sic ut postea nunquam uisi sint leto esse animo. Alij stant contenti dicto illo, Sapientia secundo cap. Non est qui agnitus sit reuersus ab inferis, qui nunciarit quid ibi geratur. Ego de Lazaro & alijs mortuis nihil disseram noui, sequar scripturam que dicit mortuos dormire. Ego enim puto eos sic ineffabili, & miro quodam somno esse consopitos, ut minus sentiāt aut uideant, quam hi qui alias dormiunt. Et cum excitabuntur, nescient ubi fuerint, aut quomodo sic repente renati sint. Ionam autem hic, & similes mortuos excutiamus, qui nondum sic dormiunt, & tamen suo quodam modo altissime in morte impliciti sunt, qui mortis pauores & inferni duran

te corporali uita experti sunt, & tamen si illorum sensum, non iudicium nostræ rationis respiciamus, planè exanimis & satis mortui fuerunt. Illi inquam, mortui, Ionas, David, & similes tentati, ueritatè uere prodent nobis, & curiositatem nobis adiment, uereq; (præsertim si similia experiamur) ostendent, quid post hanc uitam passuri sint, qui sub ira Dei manebunt.

Clamaui in tribulatiõe mea ad Dominũ, & exaudiuit me, de uentre inferni clamaui, & exaudisti uocem meam.

Primum magnifice prædicat gratiam & misericordiam Dei, quòd eum ex tali & tanta necessitate ac morte eripuerit, proinde proponit nobis primum amplitudinem bonitatis & gratiæ Dei, deinde afflictionem ex qua ereptus sit, & docet nos hic primus uersus duas egregias & ualde utiles doctrinas. Primum, ut in omni afflictione ante omnia curramus & cito clamemus ad Deum. Neq; continere se potest diuina bonitas, quin respiciat afflictos & laborantes. Neq; enim fieri potest, ut Deus non clementer exaudiat eos qui clamant, ut optimus pater non exaudiat filios, qui in necessitatibus ipsum inuocant.

eant. Disce ergo, disce inquam, quid uel maxime uti
 le sit afflictis, disce totam salutē afflictorum in hoc
 fitam esse, ne silcant, sed cito freti bonitate patris,
ⁱⁿrogantia multa ad cœlum clamēt. Quantūuis igitur
 tur premat & in terrā deprimat & opprimat ten-
 tatio, sis memor exempli, obnitere pusillanimitati,
 leua caput, tende supplices manus, audeto, audeta
 clamare, Deus meus, Domine mi, Pater: mox ut cla-
 maris, & ausus fueris, ne dubita, aspirabit aurula re-
 frigerij. Nam ne infernus quidem infernus esset, aut
 illa sempiternæ desperationis tenebræ tenebræ es-
 sent, si ulla uox, ullum sybilum ibi ædi posset inuo-
 cationis Dei. Quod enim diu flere uelis, rugire et
 eiulare, aut diu circumspicere unde possit humano
 more peti auxilium, frustra angeris. Non sic emer-
 ges, non sic eluctaberis, sed magis immerges te ma-
 lis. Disce hic à Iona, ille etiam diu conflictatus est
 eum tentatione & malis suis, antequàm os tandem
 aperiens, clamaret, quemadmodum in cantico ipse
 dicet aliàs, iam dudum esset redemptus. Ideo & in
 sua oratione non eo ordine procedit, nec uult ut se
 imiteris: mox primo loco in ipso exordio, Clama-
 ui ad Dominū, inquit. At dici nequit, quàm hoc sit
 difficile, & omnino per omnia arduū, tunc uel hi-
 scere aut clamare ad Deum, cum cor angustia op-
 pressum pauet. Plorare, eiulare, miseris gemitus

I N I O N A M

& singultus edere, trepidare, et desperare, & mu-
 liebriter frangi tunc cuius est facilimū, sed ad in-
 uocationem planè tunc obmutescimus. Nam ibi ma-
 xime incumbit nobis, & quasi ad terram deprimi-
 ceruicem, uere urens & intolerabilis sarcina con-
 scientiæ & peccati: accedit adhæc acerrimus et a-
 cerbissimus sensus iræ Dei. Hoc tantum & tam gra-
 ue pondus est, ut cœlo et terra grauius sit, & quæ-
 uis Athlantem oppressurum uideatur. In summa,
 supra uires rationis humanæ est, ac hominibus im-
 pijs, & naturæ planè impossibile, contra tale pon-
 dus se erigere, illumq; inuocare Deum, quem sentit
 iratum, & non aliò confugere. Quemadmodum et
 Esaias conqueritur, quòd populus non conuertatur
 ad percutientem se. Secundum naturam autem sic
 affecti sumus, ut potius tunc longè fugiamus Deum
 iratū & nos flagellantē, quàm ut ipsum inuocemus.
 Tempore afflictionis igitur, ratio semper alibi que-
 rit consolationem & auxiliū, atq; illum Deū auer-
 satur & exhorrescit. Sic fit ut impij fugiant Deum
 sempiterna trepidatione & pauore, & tamen non
 effugiant, sic sub ira Dei, morte, & inferni terro-
 ribus perpetuo constricti, percunt. Et hic uides bo-
 nam partem pœnarum inferni, quid patiētur impij
 post hanc uitam, nempe quòd misere fugientes irā
 Dei, nunquàm effugient, & tamen inuocare nō po-
 terint.

terint. Contra dicit Esaias, cap. 28. Qui in lapidem
angulari Christum crediderit, non festinet, non fu-
giet, quasi diceret Esaias: omnes impij fugiūt Deū,
& iram eius, & tamē non possunt effugere, à qua
misera trepidatione & horribili pauore nos libera-
mur per Christum. Non potest ratio humana in ten-
tatione aliter affici aut iudicare, quàm secundū sen-
sum. Cum igitur uehementissime sentiat iram Dei,
non aliter etiam est affecta de Deo, quàm de crude-
lissimo tyranno, neq; potest per has nebulas ira di-
uina perumpere, & contra spem in spem crede-
re, contra Deum ad Deum festinare, ipsumq; confi-
denter inuocare. Ideo cum Ionas eò euaserat ut in-
uocaret, iam uicerat. Eius exempli uidesis memor
& in tentatione idem facito. Noli demittere caput,
noli fugere & despondere animum, sed sile Deo,
& erige te, excitatior ibi & alacrior sis teipso, &
experire uerū esse uersum hunc, Clamaui ad Do-
minū &c. & respondit mihi. Ad Dominū (audin?)
ad Dominū inquam, et caue aliorsum te rapiat moe-
sticia, ad illum ipsum qui irascitur, qui percutit con-
fidenter accurre, & nullū alium. Hoc autē respon-
dere Dei, nihil aliud est, nisi quòd cito senties, tunc
refrigerium, mitigatam iram & poenam, ne dubita,
ipse aderit, ipse respondebit, modo tu inclames, &
uide quid dicam, tantum inquam inclames. Neque

I N I O N A M

enim Deus moratur tua merita, sed bene nouit te esse peccatorem, & iram pro meritum, aliàs non castigaret. At ibi natura & ratio iterum est sui similis, semper uult asserre merita, quibus placetur Deus, & tamen nihil inuenit. Neq; credit, neq; scit solam inuocationem satis esse ad placandam irã Dei, quemadmodum exemplum Ionæ nos hic docet. Hoc aut uitium omnis homo cõtraxit ex Adam, rebus secundis quando non irascitur Deus, neq; castigat, nihil est homine arrogantius, superbius, & securius. Ibi nullæ horrendæ minæ, nulla exëpla iræ nos mouent, sed planè contemnimus Verbum Dei. Econtra cum Deus castigat, sic frangimur, sic obstupescimus, sic terremur, ut nullæ promissiones, nulla beneficia, nulla exempla gratiæ nos consolari aut erigere possint. Sic quomocũq; agat nobiscũ Deus, miseri & infirmi sumus. Ecce exemplum nostri seculi, quàm petulanter, quàm insolenter leti & erecti, nuper tempore seditionis uolabãt Rustici: econtra quàm muliebriter trepidabant quidam magni Heroës, hi nulla poterant erigi consolatione, illi nullis reprimi minis. Iam econtra nullũ superbiæ, & seuitiæ modum uidemus apud Magnates, nec ullis minis mouentur donec iterum sentiant irã Dei, ut uerum sit hoc Poëtæ in omnibus hominibus, Naturam expellas furca tamen usq; recurret.

Secundo

Secundo hic docemur, sic clamādum esse ut cor certo statuatur se non in uentū clamare, sed se à Deo respici & exaudiri, ut possimus cum Ionā confidenter dicere, Dominus respondit mihi. Sic autem clamare nihil aliud est, quā constanti fide & erecta Deum inuocare. Neq; enim leuare caput, uocē, aut manus tendere poterimus, nisi primum cor erectū sit. Quod sic erigitur & leuatur (ut dixi) quando auxiliante spiritu, infirmitati nostræ contra spem speramus, & ad iratum Deum currere audemus, quando sub formis iræ gratiam, sub pœna & castigatione misericordiam quærimus. Hic nunc uides, non quosuis oculos cernere tam acutū, ut tunc cum ira & ultione (ut apparet) crudeli Dei undiq; circumdati & obruti sumus, posthabitis spectris & horribilibus imaginibus iræ possumus, sic tamen notas & scintillas agnoscere gratiæ, ut sic in corde possumus certo statuere, Deum bene uelle nobis, licet uehementissimum dolorem & pauorē uultus Dei in corde sentiamus, hoc est, nimirum sentire iram, quasi non sentiam, & niti gratia & fauore quæ tamen profundissime sint abscondita. Tanti cōstat Dei uoluntatem, & Deum uere cognoscere. Hinc Paulus omnibus suis epistolis ingerit, ut cognoscatis, quæ sit uoluntas Dei. Tanti est negocij, ut tempore afflictionis per horrendas & terrificas Ideas iræ

I N I O N A M

& indignationis, tanquàm per spiritum densissimum, imò quasi medias acies, mediosq; per ignes perrumpamus. Oratio enim seria, & inuocatio in fide, quidam animi impetus est & motus, quo cor, quàmuis in profundo sentit se pertingere ad Deum & exaudiri: quemadmodum Christus sensit uirtutem de se exiisse, cum mulierẽ sanguinis profluuio liberauit. Neq; enim energia carent uerba & opera spiritus, sed afficiunt & feriunt corda. Qui autẽ Battologia quadam in uentum orant, dubij an exaudiantur, hi nihil agunt, & est mera hypocrisis. Secunda pars huius uersus, idẽ est quod iam diximus: idem est enim clamare ad Dominum in tentatione, & responsum accipere, & clamare de uentre inferni, & exaudiri: repetitionem autem facit, ut eo certius sit, ut nos etiam eo constantius credamus ita fieri apud Deũ ut dicit. Scriptura enim habet hunc morẽ, ut unã rem bis repetat, ut eo certius sit quid uelit. Ideo & Ioseph, Gene. 41. duo somnia Pharaonis de una re interpretatur, ut eo certius & minus sit dubium. Quod autem dicit de uentre inferni, intelligi uult uentrem ceti, & uocat cum uentrẽ inferni: non quòd uenter ceti sit uenter inferni, sed ille immanis uenter boluæ, Ionæ fuit uice inferni, & Ionas ibi cruciatur inferni terroribus: ac si diceret, in uentre mortis, non quòd uenter piscis esset uenter

uenter mortis, sed q̄ Ionas ibi nihil senserit quàm mortem. Neq; enim de pisce hic differit Ionas, sed exprimere uult quomodo affectus fuerit in pisce, quasi diceret Ionas, Ego uidebar mihi in ipsam inferni abyssum proiecti, cum immani beluæ rictus me deuoraret: de uentre mei inferni, uel ex uentre illo gr̄adi, qui meus erat infernus exaudisti me. Quid autem sit infernus ante nouissimum diem, non sum admodū certus. Nam quòd certus locus sit, ubi damnatorum anime incluse torqueantur, quemadmodum pictores pingūt & fingunt, & concionatores quidam contendunt, non ausim affirmare, nam diaboli nondum sunt in inferno, sed sicut Petrus ait, ad eternam damnationem uinculis alligati. Et Paulus eos mundi rectores, & potestates aëris uocat, & Christus mundi principes. Non autem regerent in mundo impios, nec sic luderent & illuderent mundo, nec toti damna darent, si certo loco incarcerati torquerentur, eterni illi damnationis cruciatus nō sinerent eos sic esse ociosos. Et scriptura loquitur de multis sanctis, quòd descenderunt ad infernum, quemadmodū hic de Iona, de Iob, de Iacobo patriarcha, Gene. 36. Descendam ad filium meum lugēs ad infernum. Ideo scriptura sancta uocabulo Hebræo **יָנִוּ** uidetur mihi ferè ea significatione uti, ut agonem mortis, & angustias illius luctæ, hoc

I N I O N A M

uocabulo significet. Secundum enim morientium il-
lorum affectus & sensum loquitur. Hi enim sic affe-
cti sunt, quasi in infernū & abyssum diuine irae de-
scendant & absorbeantur, quanquam nullum cer-
tum locum sciant, quo ferantur, aut quo emigrent.
Quilibet moriens suum circumfert infernum, quā-
diu desudat in his mortis angustijs, et in his irae Dei
terroribus. In eum modum Petrus citat Psalm. 15.
de Christo. Act. 4. Non derelinques animam meam
in inferno, & dicit, Quē Deus suscitauit solutis do-
loribus mortis: & non obscurū est, quōd Petrus ibi
per infernū uult dolores mortis & terrores signi-
ficare, quos Christus in cruce perpassus est, cum ani-
mam in manum patris offerret. At sub extremum
diem, et post iudiciū extremum, aliter habebit cum
inferno. Ibi enim certus locus erit infernus, ubi im-
pii cruciabuntur in eterna damnatione & ira te-
nebuntur conclusi. Sed hoc nunc satis est, parum re-
fert etiam si qui de inferno sic sentiant, ut pictores
aut alij haecenus poenas inferni depinxerunt. Gra-
uiiores enim sunt & erunt, quā quisquā cogita-
tione ulla assequi aut omnino describere possit.

Proiecisti me in profundū cor-
dis maris, & flumina circūdece-
runt me, omnes eleuationes tuae
& fluctus

& fluctus tui super me transierunt.

Hic nunc quasi ordine recenset quibus cogitationibus & affectibus conflictatus sit, antequam clamaret ad Dominum, cum adhuc eius fides luctaretur, & penè succumberet. Hic nunc obliuiscitur hominū qui proiecerāt eum in mare, & dicit de Deo, Tu proiecisti me (inquit) in profundum. Nam sic etiam in hora tentationis, sentit conscientia, quasi in tota creatura, & hac rerum uniuersitate omnia minima maxima nobis aduersentur, & quasi omnium rerum cōspectus nihil sit Deus, quā ira Dei, adeo ut etiam aridi & cadentis folij sybilum nobis tunc terrori sit, quemadmodum Moses Leuiti. 15. dicit. Hic uero perpende, quā mirabilis Deus sit in operibus iudicij. Nihil est uilius, nihil imbecillius, nihil abiectius quā aridum folium, quod in terra iacēs conculcatur, quod nedum uermiculi, sed & araneae arrodunt: & quod adeo uile est, ut Iob, cum maxime se uult extenuare corā Deo, arido folio se cōparet, quod à uento rapitur. Hoc tamen folio, cum uenerit hora, Deus potest uti instrumento ad incutiendum terrorem, armatis copijs, maximis & instructissimis exercitibus, & frangendam ac debilitandā, subito prosternendā omnem humanā potentiam, & omnes omnium uires adigendos in fugā, patesfaciendos reges & tyrānos, qui alijs neq; minus

IN IONAM

Verbi Dei neq; pœnis terrêtur, sed tantũ induran-
tur. Num ergo egregie animosi sumus, ad minas dei
oēs securi & ferrea ceruice sumus, et ad casum ari-
di folij, cum Deus uult, contremiscimus, & ad illius
sybilũ quasi horribilem tonitruï fragorem, conci-
dimus, pauidi & dubij quo confugiamus, qui pau-
loante non unum cœlum, non unum Deum uideba-
mur expugnaturi? Quid ergo inflamur miseri, si
hoc potest aridum folium, quid fluctus & tempesta-
tes maris effectura essent, de qbus hic Ionas? Quid
extrema die fiet, cum Christus in maiestate uentu-
rus est in incendio flãmæ cum angelis uirtutis suæ?

Sic etiam non dicit tantum, undæ & fluctus ma-
ris super me transierunt, sed omnes tuas undas &
fluctus tuos induxisti super me: nam sic sensit in cõ-
scientia, quasi totum mare cum omni immani illa ui-
andarum & fluctuum seruiret Deo, ad ulciscẽdum
peccatum Ionæ: quasi diceret, miser & tentatus Io-
nas sic pauebam, sic trepidabam, quasi omnia ma-
ria, & omnes aquæ in cœlo & terra, in me unũ ui-
lenter inundarent, quasi aliàs nemo usquàm esset,
qui sic ira Dei premeretur. Qui Deum cum omni-
bus creaturis aduersarium haberet præter me. Sic
esse affectos, qui in maximis illis tentationibus cõsti-
tuti sunt, experientia citius discitur quàm exprimi-
tur uerbis: nam hodie sæpẽ tentatos dicere audi-
mus,

mus, uidebar toto cœli & terra pondere premi. Hi nunc sunt ueri pauores, ueræq; angustia, quæ post hanc uitam erunt in omnibus impijs. Sic incipit hic in morte impiorum talis pavor & iudicium Dei, et durat in perpetuum. Hæc autem uerba prophetae, sunt uerbis Psalm. 42. similia, qui etiam dicit, omnes fluctus tuos induxisti super me, et Ionas forsân hæc uerba hinc est mutuatus.

Et ego cogitabã, abiectus sum ab oculis tuis, non adiiciam amplius ut uideã templũ sanctũ tuũ.

Hic nũc conspectus poenæ terret & percutit cõscientiam, his uerbis indicat Ionas, quã hoc uehementer momorderit, quòd poena uidebatur respondere peccato. Ipse enim fugerat à facie Domini, recusans prædicare in Niniue, hoc est peccatum, hæc est inobediẽtia eius. Nunc mirabiliter in corde percussus, sentit se inuitum abiici à facie Domini in poenam, quòd pauloante fugit à facie Domini per inobediẽtiã. Hic haud dubie cor Iona in maximo fuit pauore & angustia, dum similitudinem poenæ sic apud se reputat: ecce tu fugisti à facie Domini, cum audire debebas, nunc satis longè abiectus & repulsus mœres à facie domini. Ibi simul acriter remordet conscientiam peccatum, & discruciat ac terret

poena. Quòd autem abiectus sit à facie Domini, potest duplici modo intelligi, primū corporaliter, scilicet quòd cogitabat sibi nunc esse moriendum, & desperabat se unquam rediturum in terram Israel, aut se unquam coram Deo uersaturum, à quo fugerat, ut supra dixi: ut sic fugere à facie Domini, sit fugere ex terra Israel, in qua habitabat nomen Dei & erat cultus Dei. Quemadmodum saepe in lib. 2. Reg. dicitur, quòd Deus abiecerit Israellem à facie sua, & minatur quòd & Iuda à facie sua abiecturus sit, id est, extra terram, in qua nomen Dei est, & cultus Dei. Eam sententiā indicant uerba sequentia, cum subiicit, et non uisurus essem templum tuū, scilicet Hierosolymis. Quibus uerbis testatur se fuisse in agone mortis, & planè se desperasse de uita. Ibi fides Ione fuit in maxima lucta, ibi inuocatio nis obliuio profunda, pauoris & desperationis de uita omnia plena. Neq; mirum, quis enim non desperaret de uita tali casu, cum proiectus in mare, uentre ceti absorberetur. Secundo potest intelligi spiritaliter, quòd sensit se in corde à Deo perpetuo reiectum, ut alios damnatos propter tantam inodeditiam. Quemadmodum & Dauid in Psal. 31. saepe dicit, Dixi in extasi, proiectus sum à facie oculorum tuorum. Et natura peccati est, ut afferat trepidationem horrendam conscientiae, praesertim in agone mortis.

mortis. Et haud dubie hanc etiã sensit Ionas in cor-
de suo, & sudauit satis in hac lucta, desperans pe-
nẽ de omni gratia & misericordia Dei, antequã
scintillula quadam redaccenderetur fidei, & aude-
ret clamare, inuocare. Ibi haud dubie una hora ma-
gno numero animo illius obuersata sunt exẽpla ua-
ria iræ diuinæ, quomodo crudeles & horridas pœ-
nas Deus inflixerit peccatoribus, de Adam & Eua,
de Cayn, de diluuiõ, quomodo Deus semel totũ or-
bem perdidit, de Sodoma & Gomorra redactis in
cinerem. Hęc etiã est pars aliqua descripta pœ-
narum inferni, quæ super omnes impios uentura
sunt. Et uides hic quid rei agatur cum impijs
post hanc uitam, nempe quod uersantur in sempi-
ternis angustijs, terroribus & pauoribus iræ di-
uinæ, in desperatione perpetua bonitatis Dei. In ta-
lem autem pauorem coniecit Ionam hoc periculũ,
quod foris imminebat, & ira Dei undiq; uurgens, cũ
proijceretur in abyssum, & auferretur à fluctibus,
& obrueretur, ut supra dixit, & post latius subij-
cit, & dicit.

Circundederũt me aquæ usq;
ad animam, abyssus uallauit me,
alga cooperuit caput meum.

Quomodo mihi uitam pollicerer, aut me solari

possem, undecunq; aquis tanquam medio mari captus, & alga & arundine tectus. In littore enim maris, in ripis etiam fluminum & lacuum, alga, iunci, & arundines solent succrescere. Qui ergo in mari submersus perijt, iacet sub alga & iūco tectus, hoc est, sub aquis in quibus crescit iuncus & arundo, & quicquid in mari & ad mare est, illum sic submersum sub se tegit, ut arundine, iuncis, imò ipso litore tectus dici possit, ut statim sequitur.

Ad extrema montium descendendi, terræ uectes &c.

Nam omnia maria, omnes fluij & torrentes, eunt in uallibus inter montes, nam in planicie consistere non possunt. Montium igitur fundamēta & radices ipsum profundū & uadum profundissimū sunt in mari, ubi radices montium coniunguntur et in profundo coherent. Hæc autem omnia patheticos loquitur Ionas, pauore & affectu iam submergentis, & iam aquis obruti, & tamen sursum de luce cogitantis, aut affectibus eius qui submergetis casum apud se expendit. Nam ille si sursum cogitat, uidet aquarum diluuiū coopertum, atq; utrinq; iuncos & terram. Hic igitur cum descendit in profundum, uidetur sibi inter duos montes ad fundū usq; descendere. Ibi terra eum quasi montibus, quasi cathenis

thenis conclusit, id est, ipse nō aliter cogitat, quā
 ibi sibi perpetuo manendū esse, & nunquā se esse
 euasurum. Nam quemadmodū is qui in turri est, ca=
 ptiuus, cogitur in carcere manere, quia ianua & fe=
 nestrae clausae sunt: ita is cogitur manere in mari,
 qui sic descendit in profundū, ibi terra, id est, mon=
 tes inter quos mare transit eum conclusit, & mari
 & undis sic clausit, ut euadere non possit. Hic ite=
 rum uides cuiusmodi cogitationibus conflictatus sit
 Ionas in uentre ceti, cibi & potus facile est oblitus.
 Tantū in meris certaminibus & uario agone mor=
 tis adeo est uersatus, ut de uita prorsus desperarit.
 Hic adhuc nullam audis inuocationem Dei.

**Sed tu uitam meam a perditio=
 ne liberaisti, Domine deus meus.**

Hic nunc recreatur afflictus Ionas, & aliae ueni=
 unt ei cogitationes. Hic haecenus tot arietibus op=
 pugmata, ac penē expugnata fides Iona, rursus se
 erigit & audet sperare uictoriam. Hic nonnihil di=
 spellūtur tenebrae tentationis, & affulget aliquid
 lucis, quasi dicat Ionas, Eo ipso momento quo uide=
 batur mihi in profundo absorptus, & iam omnia
 desperata erant, neq; ulla usquā spes apparebat
 uitae aut salutis, ibi tu Deus meus mirabili potentia
 tua, iuxta misericordiae tuae amplitudinem eripui-

si dextera tua è faucibus mortis, & repente uerri
 si luctum mihi in chorum, tenebras in uiuificam cō
 solationis lucem. Sic enim habet res cum tentationi
 bus, ut dicitur Germanico prouerbio, Quando ner
 uus maxime tenditur, tunc disrumpitur. Ideo scri
 ptura Deo tribuit titulum, adiutor in opportunita
 tibus, in tentatiōe: quia cum maxime omnia sunt de
 sperata, solet maxime consolari suos Deus. Quo
 modo autem nobiscum agit Deus, quādo sic conso
 latur & iuuat, audi Ionam.

**Cum deficeret anima mea, Do
 mini recordatus sum.**

Primum dat Deus gratiam & spiritū, ut cor eri
 gatur & animetur rursus, ut uiriliter repudians co
 gitationes iræ, possit apprehendere uerbum pra
 missionis gratiæ & misericordiæ, uertere se à Deo
 iudice, & accurrere ad Deum patrem. At sic affici
 tempore tentationis non est in manu nostra, neque
 humanarum uirū. Ionas hic dicit, quod anima eius
 cœperit desperare & pauere. Trepidatio igitur et
 pauor uirtutes sunt, & uires nostræ & liberi arbi
 trij. Quod autē iam dulciter erga Deum afficitur,
 recordatur Domini sui, & incipit credere, hoc o
 pus est, & lumen spiritus Dei. Cum autē hoc, post
 tenebras tentationis sequitur, ut cor incipiat recor
 dari

dari misericordiarum Domini, ibi noua quaedam lux splendescit, ibi cor rursus ad se redit, ut cum fiducia audeat clamare ad Dominum, & tunc certo exauditur. Hoc est quod Ionas primo uersu dicit, Clamaui ad Dominum & respondit mihi. Hic nunc repente, quasi uno ictu, mors, ira Dei, peccatum, infernus prosternuntur, & triumphat infracta, & per omnia tandem uictrix fides Ione, promissioni diuinae innixa. Quod autem dicit, Oratio mea ascendit ad te in templum sanctum tuum, iterum significat templum in Hierusalem, in quo Deus tunc promiserat se habitaturum. Populus enim Dei habuit mandatum, ut nullibi adoraret, nisi ubi erat locus electus & constitutus à Deo, quemadmodum Exodus dicitur. Sic omnes qui in terra Israel, uel extra terram adorabant, ex Dei precepto cor & faciem conuertebant uersus templum, ad locum ubi habitabat Dominus per uerbum suum. Hoc mandatum eis erat, ne ullum alium Deum adorarent, quam illum qui sedebat inter Cherubin, super propitiatorium. Eò omnes dirigendae erant orationes, quemadmodum nos orationes & omnia dirigere debemus ad Christum, in quo habitat Deus corporaliter, qui est uerum propitiarium.

Qui autem custodiunt uanitas

tes, misericordiam derelinquunt.

In Hebræo est, Qui suam misericordiam derelinquunt. Quia autem hoc in Latino sonat quasi loquatur de misericordia hominum, quam frater fratri exhibeat, ideo omisi pronomen, suam, & posui tantum uocabulum misericordiam, ut eo clarius esset. Nam Ionas loquitur de Dei misericordia & bonitate, quæ nostra est, id est, nobis oblata, nobis promissa & donata, ut si ego dicerem de Christo, Qui suum Christum, suam fidem, suum Euangelium derelinquunt, cum tamen nullum illorum nostrum sit, sed Dei donantis: & tamen nostrum uocatur, quia nobis promissum, nobis oblatum est, ut nos gratis accipiamus. His uerbis autem Ionas acriter obiurgat iusticiarios & hypocritas, qui non in misericordia Dei, sed in suis operibus confidunt. Nam illi quia ignorant quid sit fides, & rudes sunt rerum spiritualium, nec experti tentationis, quis usus sit, fidei, & quam bona opera in tentatione non subsistant: interim quod in hac hypocrisisi sunt, non magnificiunt gratiam, sua autem opera maxime pendunt. Ionas autem hic uocat uanitatem, id est, opera nostra nihil sunt, nihil ualent coram Deo, sed Deus uult ut credamus sola misericordia & gratuita bonitate, absque meritis & operibus nostris nos saluari &

uari & iustificari. Qui nunc confidunt in uanitate, eos frustra confidere dicit Ionas. Nam ipsorum fiducia & gloriatio in operibus, tam nihil est, quam ipsorum opera & illa uanitas in qua confidunt. His uerbis in primis Ionas perstringit populum Israel, qui sic gloriabatur in lege, & operibus legis confidens, ut non tantum derelinquerent Euangelium, misericordiam & gratiam in eo promissam, sed etiam hoc acerrime persequebantur, cum tamen illam misericordiam suam, agnoscere debebant, quibus pro ceteris erat promissa.

Ego autem in uoce laudis immolabo tibi.

Hic iterum perstringit Iudaeos cum suis sacrificijs & operibus, quasi diceret cum Psalm. 49. Ipsi offerunt tauros & hircos, quasi Deus delectetur his, & quasi nunc placeant Deo. Ego autem scio sacrificium laudis uere gratum sacrificium esse, ut laudetur, praedictur eius misericordia, nobis indignis exhibita, ut Ionas hic dicit. Sectatores autem operum legis e contra potius a Deo uolunt laudari & predicari, quasi suis operibus Deo gratum officium praestiterint, & benemeriti sint de Deo. Hanc autem cognitionem bonitatis & gratuae misericordiae, quanquam Ionas etiam ante habuit, tamen in illa ten

I N I O N A M

tatione longè euasit eruditior & doctior, in uera
 schola crucis. Nunc enim non mediocri experientia
 cognouit Deū non respicere opera, personas, neq;
 merita, qui gratis miseros peccatores è medio infer-
 ni reuocat & eripit. Paulo ante Ionas etiam labora-
 bat hoc Iudaico affectu, quasi apud Deū esset $\pi\epsilon\sigma\sigma\omega\lambda\alpha\iota\iota\alpha$, quasi respiceret opera in primis po-
 puli Israel. Quanquā ne nunc quidem perfecte il-
 lum affectum exiit. Quòd autē dicit, Vota mea sol-
 uam, non est intelligendum quasi Ionas aliquid uo-
 uerit. Adhæc non meminit inter reliquas cogitati-
 ones quas habuit in ceto, ullius uoti, sed tantum sue
 orationis. Ideo oportet et nos assuescieri scripturæ:
 nam ubi propheta in generali de uotis, & solu-
 endis uotis loquuntur, et non exprimitur in specie ali-
 quod peculiare uotum, ibi intelligendum est de lau-
 de, quod uotum est perpetuum omnium eorum qui
 populus Dei sunt. In tali laude uere uouemus nos
 non habituros alium Deum, quā illum solum &
 unum. Ideo soluere hoc uotum nihil aliud est, quā
 confiteri, laudare & predicare, & sic uero et sum-
 mo cultu uenerari Deum, ut Psal. 49. Immola Deo
 sacrificium laudis, & redde altissimo uota tua. Itē,
 Vota mea reddam Domino corā omni populo. Sic
 Ionas etiā uult uota soluere, id est, laudare & præ-
 dicare Dominum, uti suum unicum & uerum Deū,
 ideo quòd adiutus sit.

Et Dominus dixit pisci, & ex-
puit Ionam.

Hoc est dictum, proprie ad morem scripturæ, q̄
Deus omnia creet, faciat & operetur per Verbum,
Iohan. 1. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso
factū est nihil. Psal. 33. Ipse dixit & facta sunt, ipse
mandauit & creata sunt. Sic cetus deuorare Ionam
potuit, at deuoratum ut reliquos cibos concoquere
non potuit. Et non tantum stomachus immanis be-
luæ cessauit eatenus à naturali suo opere ad uerbū
Dei, sed & ipse cetus paulò ante infernus & nau-
fragium Ionæ, nunc nauis uice cogitur esse Ionæ, &
in uentre reuehere ad littus, ac incolumem ibi reuo-
mere, imò quasi è nauis exponere uiuū, ut sic merà
maxima miracula operetur Deus in Iona. Hic nunc
omnia uersa sunt: quod ante seruiuit ad mortem,
nunc est ad uitam, ibi cetus & draco ille qui paulò
ante instrumentum fuit mortis, nunc tabula & na-
uis est qua Ionas emergit, & restituitur Ionas per
hanc beluam luæ & uitæ, per quam paulò ante ui-
debatur bis mori. Adhæc mare quod nullū unquam
nausragium aut submersum restituit, ad uerbū Dei
cedit, & uiuum restituit hunc Israelitam, non mo-
do è medijs fluctibus, sed è uentre ceti, hic non am-
plius tenent conclusum retinacula terræ, non tegit

I N I O N A M

iuncus &c. Hoc totum scriptum est ad consolationem nostram, ad confirmandam fidem, ut discamus considerare Deo, qui adeo potenter in manu & potestate habet uitam & mortem, ut quasi ludens alterum pro altero dare possit, alterum commutare eum altero, ut uult, & quando, et ubi uult. Nobis autem uidentur hæc inaudita, stupenda, impossibilia, ideo discamus credere Verbo, quod ubiq; nobis inculcat hanc Dei mirabilem potentiam.

C A P. III.

Et factum est uerbum Domini ad Ionam secundo, dicens, Surge & uade in Niniuen ciuitatē mag.

Hoc ideo scriptum est, ut discamus nihil esse nobis faciendū sine uerbo et mandato Dei. Prima iussio, et primū mandatum erat iam irritum, per inobedientiam Ione. Ideo nisi Deus de nouo uo casset Ionam, nescisset Ionas an deberet predicare Niniuitis. Et forsitan accidisset ei hoc quod Israclitis, Nume. 14. Qui cum iubente Domina nō pugnare uellent, postea cum sua sponte pugnarunt, deuicti

deuicti sunt & cæsi. Adeo est uanum & impium
 quicquid homines sua sponte pro arbitrio sine man-
 dato & uerbo Dei incipiunt. Ultra hoc in secunda
 hac uocatione Ionæ clare adijcitur, quid ex manda-
 to Dei prædicare debeat, ut sic ministerium, simul
 & doctrina habeant iussum Dei. Nam tunc uere pro-
 phetica uocatio est, & affert fructum: aliàs hi qui
 currunt sine mandato Dei, aut aliud docent quam
 Verbum Dei, hi tantum perniciem afferunt Eccle-
 sijs, quemadmodum hæc duo Hieremias docet, Cur
 rebant, inquit, & non mittebam eos, id est, prædica-
 bant & ego non mandabam eis. Hæc duo diligen-
 ter obserua qui docturus es, nam tua interest & Ec-
 clesiarum te esse à Deo missum. Sic Petrus illa duo
 complectitur, Si quis loquitur, loquatur ut eloquia
 Dei: si quis ministrat, ministret tanquam ex uirtute
 quam suppeditat Deus. Ideo omnis plantatio quam
 non plantauit pater, eradicatur. Quauis enim plan-
 tentur hæreses, & non nihil floreat, tamen non fe-
 runt fructum. Sic doctrinæ humanæ florent quidē
 aliquandiu, & sæpe nocent Ecclesijs, sed non suc-
 cessum habent, sed tandem percunt & eradicantur,
 cum compleuerint dies suos.

Et Niniue erat ciuitas Dei triū
 dierum itinere.

I N I O N A M

Quare Niniuen uocat ciuitatem Dei, cum tamē
 ibi nec templum Dei, nec cultus, nec prophetae fue-
 rint. Ego puto ideo appellari ciuitatem Dei, quōd
 Deus tam clementer respicit hanc urbem, sollicitus
 pro ea ne pereat, mittēs ei proprium prophetam,
 ut seruetur. Ideo conijci potest hanc ciuitatem ali-
 quam cognitionem habuisse de Deo, uero conditore
 cœli & terræ. Et Deus sciuit fore ut suum prophe-
 tam audirent, uerbum Ionæ acciperent & resipisce-
 rent. Quemadmodum & scriptura de Naaman Sy-
 ro dicit, quōd Deus per ipsum Syriæ misertus est,
 & Nabucadnezar Deus uocat seruum suum. Qui-
 bus omnibus ostendit se quoq; gentium Deum esse,
 & non tantum Iudæorum, & quomodo etiā in gen-
 tibus habeat suos. Quod autem in textu dicitur, Ni-
 niue erat ciuitas magna, itinere trium dierum, qui-
 dam intelligunt quod tam amplis & longis muris
 in gyrum cincta fuerit, ut trium dierum itineribus
 potuerit tota urbs circumiri, quibus non subscribo.
 Hæc enim immanis uidetur magnitudo urbis & ni-
 mis fabulosa. Nam 13. aut 14. Mil. Germanicorum
 itineribus pateret longitudo murorum in gyru, &
 urbis lōgitudo et latitudo esset quinq; aut sex Mil.
 Ideo sic intelligo, Niniuen urbem fuisse tam magnā
 & latā, ut uix triduo toto omnes eius plateæ, iusta
 & usitata de ambulatione, nō cursu, pertransiri po-
 tuerint.

tuerint. Nam sequitur quod Ionas unius diei itinere ingressus urbem, prædicauerit: quod puto esse tantam partem & tantum spacium totius Ninive urbis, quantum uno die sic deambulando confici posset. Hoc indicat etiã Heb. uocabulum Malzalach, quod significat eiusmodi transitum qualis fit in deambulationibus. Quemadmodum Moses Exod. 14. dicit, Dominum ea nocte transiisse per Aegyptum, & percussisse omnia primogenita. Ille transitus, non cursu, non recta aut breuissima linea factus est, sed sedate, ut in deambulationibus. Quilibet hic amplectatur quod sibi probabitur.

Et prædicauit Ionas, & dixit,
 Adhuc quadraginta dies, & Ni-
 niue subuertetur.

Itinere unius diei ingreditur Ionas urbe & concionatur. Quot autem dies transierit, antequam eam partem urbis & tantum spacium prædicando absoluerit, textus non exprimit. Summam autem concionis breuem hic, quasi uno fasce cõplexus est propheta, uidelicet, adhuc quadraginta dies & Ninive subuertetur. Ionas autem proculdubio non tantum his quatuor aut quinque uerbis usus est. Sed longiori oratione tractauit hoc thema, nepe causam exprimens propter quam ira Dei impenderet, quæ sceleris

ra irritassent Deū, quæ uia sit ueræ poenitentiæ. Sed breuiter hic ostendit potius quàm explicauit, quem admodum nos quoq; concionum summam solemus cōplecti, cum dicimus, Hodie prædicauit de Missa, de poenitentia &c.

Et crediderūt Niniuitæ Deo,
& prædicauerunt ieiunium &c.

Equidem meros sanctos & pios homines puto fuisse in ciuitate Niniue, ut Ionas merito uocet eos ciuitatē Dei. Neq; ulla facile urbs reperietur in toto mundo, quæ huic possit hic conferri, etiam si sanctam ciuitatem Hierusalem compares. Nam Ionas tantum unius diei itinere ingressus urbem prædicauit, non omnes cum adhuc audiuerūt, & tamen omnes conuertuntur. Ciuitatem Hierusalem non tot prophete, non tot apostoli, qui tanta contentione, tanto tempore, ibi & concionibus & miraculis hoc egerunt, ne Christus quidē ipse eō permouit, ut omnes conuerterentur, & merito dicretur de Niniuitis quòd Christus in Euangelio de Centurione, Nō inueni tantam fidem in Israel. Nam tempore Ionæ, cum Ninue conuertitur, in primis Israel & Hierusalem plene erant impietatibus & Idololatrijs. Et ut maxime de Hierusalem tam insigne posset ostendi exemplum poenitentiæ, quemadmodum tempore Dauid

re Dauidis, Salomonis, Ezechiae, Iosiae, satis egregia exempla pietatis extabant in populo, tamen nota mirum esset in Israelitis, qui legē Dei, tot prophetas, tot egregios reges, tot principes & sacerdotes, & alios spiritualissimos viros habuerunt, qui Verbum Dei summo studio predicabant et docebant.

Ideo tempore Ionae, Niniue excellentissima fuit urbs in mundo, nec habuit similem. Hunc locum prophetae solent Sophistae citare ad asserendam doctrinam operum. Hic uides, inquit, quod Deus respicit opera, quod Niniuae per opera merentur gratiam, qui tamen gentiles & increduli erant, ergo liberum arbitrium bonis operibus potest se praeparare ad gratiam &c. Hic respondeo, Eiusmodi calumnias Ionas pulchre praeuertit, cum antequam recenset opera, laudet & commendat Niniuitarum fidem. Niniuite, inquit Ionas, credebant Deo &c. Eiusmodi locos possunt transilire, & postea iactant nobis opera. Adhaec Ionas uocat Niniuen ciuitatem Dei. Esse autem ciuitatem Dei, credere Deo, & uiribus liberi arbitrij facere opera meritoria pugnant inter se. Ex fide igitur efficacia & operatione spiritus Dei fluunt haec opera, & propter fidem placet Deo talia opera. Nam per hos externos fructus, suam fidem & spiritum in corde, testati sunt Niniuite, quod scilicet praedicatio Ionae, non sine

I N I O N A M

fructu fuerit. Quomodo autem Deo non placerent
 eorum opera, in quorum cordibus est spiritus & fe-
 des, cum ne peccatum quidem eis, & immundicia,
 quæ reliqua manet amplius noceat aut imputetur.
 Obserua autem quòd quædam opera faciunt, quæ
 Deus non mandauit, ut ieiunant & saccos induunt.
 Quid enim moratur Deus saccum ciliciũ aut ieiunium?
 Deus tantum cordis iusticiam exigit, & uita
 & nouitatem. Neque hoc exegit Deus per Ionã, sed
 tantum ut relinqueret uias suas malas: multi in sac-
 cis & cilicijs circumierunt & ieiunarunt, qui ta-
 men occultissimi hypocritæ & nebulones meri fue-
 runt, ut monachi sub cicullis. Ideo & postea non
 saccos, non ieiunia laudat ac prædicat Ionas, sed quæ
 conuerterent se à uis suis malis. Fecerunt autem iux-
 ta ueterem & traditum morem Patrum suorum,
 & regni, quæ sic in sordidis uestibus & ieiunijs, ac
 aliquot uerum inedia se humiliare consueuerunt.
 Idem dicendum est, quòd rex ipse tam magnus cum
 suis principibus sedet in cinere, tam stulta edicta
 promulgat, ut etiam bobus et reliquis iumentis in-
 dicat ieiunium. Quis unquam audiuit tam absurda,
 iumentis ieiunium, aut publicum luctum indici. An
 Deus moratur ieiunia iumentorum? Respondeo, Tan-
 ti sunt apud Deum ieiunia iumentorum & cilicia,
 quanti hominum, & e contra. At quo sese non abijcit,
quid nõ

quid non conatur cor contritum & uere conterris-
 ta conscientia? Multo stultiora saepe uideas sic pau-
 factos facere tantum, ut undique ostendant se serio
 agnoscere peccatum, & si fieri posset, talis conuer-
 sus humiliatus peccator, lapidibus & lignis & om-
 nibus creaturis indiceret luctum, totusq; extillaret
 lachrymis, & tamen putaret nondum satis se luge-
 re. Neq; facile quis uerbis aut cogitationibus asse-
 qui possit, cuiusmodi luctu & acerbitate uere poe-
 nitens conscientia afficiatur, ea omnes creaturas
 sic affici putat, ut ipsa affecta est, ut non frustra Pau-
 lus gemitum spiritus uocari inenarrabilem: & Da-
 uid in Psalmo dicit, Rugiebam praegemitu cordis
 mei, id est, singultu & rugitu maximo deplorabam
 peccatum meum. Quando nunc Deus uidet tam se-
 riam conuersionem & poenitentiam, tunc ut alios
 gestus etiam stultos, genuflexionem, extensionem ma-
 nuum non reijcit, quae alias sola sine fide & tam ar-
 denti gemitu non huius faceret. Ideo Ionas Niniuita-
 rum tam ueram & seriam poenitentiam suis uiuis
 adumbravit, imo expinxit coloribus, & ostendit
 quam corda eorum accensa & inflammata fuerint
 miro ardore melioris uitae. Si nunc Sophistae uolunt
 iactare opera, quasi mereantur aliquid coram Deo,
 bene attendant ad textum, ut etiam uehementissi-
 mum & ineffabilem gemitum cordis iactent, praes-

IN IONAM

dicent, ex quo opera illa ieiunij & uestiū processerunt. Nam si tantum opera, sine hac uera pœnitentia respicias, ut fuerunt illa opera Monachorum, sacerdotum nostrorum, in primis quadragesima, & hebdomada passionis: nihilo meliora sunt ea opera, quàm si boui aut asino ieiunium indicam, & equum non phaleris, sed funibus tantum ornem, qua hypo-
crisi citius iritaturus sis Deum quàm placaturus. Apagesis igitur cū istis miseris operibus, aut adde fidem, radicem & fontem omnium bonorum operum. Illum autem gemitum cordis non ipse indere tibi potes ex uiribus liberi arbitrij, sed est tantum opus spiritus sancti.

Adhæc uidemus hic Niniuitas non cōtentos esse his operibus ieiunij, cilicij &c. sed præcipere etiã ut unusquisq; relictis uijs suis malis, emēdet uitam. Hypocrite ualde iactant opera, & negligunt hoc quod semper scriptura addit conuersionem ex corde, & sic paleas afferūt pro granis, & pro nucleis putamina, tantum ridentes Deum. Conuertantur primū serio, et agnoscant & sentiant peccatū suū, postea facile hæ rixæ per sese conquiescent. Nunc perpetuo rixantur de bonis operibus, & tamen nō cogitant, nec possunt facere opera bona, nihilominus perpetua loquacitate nobis obganniunt.

Induere sacco, est Hebraismus, & idem est quod
Latine

Latine sordidas uestes induere, seu incedere sine ornatu, pullatum in luctu esse. Sed non est ut hic tantum de saccis, & sordido panno somnies. Saccū induere, est lugere, ut Hieremias dicit, Induam cœlos sacco, id est, obscurabo, nubes inducam. Apo. ca. 6. dicit, Solem denigratum ut saccum. Eiusmodi Hebraismos aliās inuenies. Sic panem & aquam scriptura uocat uictum & potum. Item sedere in cinere, uocat humiliari, non elatum, non latum & erectum uolare, sed tristem incedere. Non quòd ad caminum, aut focum in cinere sederint, non quòd omnes isti Niniuit. & sordidis saccis induti fuerint, sed cum non sit tenuior uictus, quàm aqua & panis, nō uilior uestis quàm saccus, non abiectior locus quàm puluis & cinis. His figuris uerborum omnis tenuitas & uilitas ciborum, uestium & locorum significatur: sicut Esaias de Babylone dicit, Humiliare Babylon, humiliare, sede in cinere.

Quis scit si cōuertatur & ignoscat Deus &c.

Hic Rex loquitur, quasi dubitet & non credat, non certus sit Deum futurum propitium, quod tamen est contra naturam fidei, quā oportet esse certam. Respōdeo, Rex non dubitat, aliās non tam serio fuisset humiliatus. Qui enim dubitat, is non sic

IN IONAM

inuocat Deum, nec tam serio poenitet. Verum sic so-
 let cor uere contritum, quod iam incipit credere, ut
 adhuc aliquatenus luctetur cum desperatione, qua-
 si nondum potitum uictoria, ideo tale cor loquitur
 quasi adhuc incertum sit. Et uerba regis hic quoque
 sonant, quasi nondum res in uado sit, sed adhuc lu-
 ctetur secum, & tamen scintilla est ibi fidei. Nam si
 prorsus nulla ibi fides esset, tunc non expectaret in
 tanto aestu tentationes. Ideo haec uerba magis indi-
 cant, ibi adesse fidem, quae adhuc timeat et luctetur,
 sed tamen bonitatem Dei ob oculos habeat, quem
 admodum dicit, Quis scit si Deus &c. quasi dice-
 ret, est adhuc aliqua ibi abscondita misericordia.
 Non est, ut hic tractare uelimus haec acumina qua-
 stionum & argumentorum, Quomodo Deus pos-
 sit conuerti & poenitere, cum sit incommutabilis,
 quibus inanibus quaestionibus quidam hinc ualde se
 torquent, & ipsi sibi reddunt tales locos asperos &
 difficiles. Multo magis hic respiciamus potius ex-
 emplum hoc, quam egregia & magna fides in Ni-
 niuitis sit. Qui non tantum ad praedicationem Io-
 nae illico credunt fore, ut Niniue subuertatur, sed et
 audent sperare gratiam & misericordiam, hi qui nul-
 lam promissionem, sed tantum minas audiunt. Pri-
 mum per sese, id est, longe maximum, ad unius con-
 tempti hominis praedicationem potentissimum huc

Monarcham, Regum regem, & totam hanc ciuitatem agnoscere peccatum suum, deinde tam ex animo Deum sic timentes, humiliari, ut ne cogitēt, nec obijciant Ionæ quare ipsis præ alijs urbibus & insulis gentium tantum impendeat malum. Quam sine fronte, quam per omnia secura fuerunt ad uerbum Loth Sodoma & Gomorrha, quam dura ceruice Pharo contra Mosē & Aaron, quam occæcato & indurato corde Hierusalem contra Apostolos & Christum, quam crudeliter seuij, & in hunc diē seuit Roma contra uniuersum nomen Christianum, quantum sanguinis fudit. Quam inaudita tyrannide & crudelitate iam quoq; principes et Episcopi persequuntur Euangelium. Quid multa? reliqui homines in toto mundo meri sceleratissimi peccatores, imò diaboli uideri possint præ his Nininitis, quos angelos dices. Secundo, & hoc maximum est, quod in tali angustia & tentatione non desperant, cum nullas habeant promissiones. Nam quo Verbo gratiæ usquàm innitatur hi gentiles: tot prophetas, tot Apostolos, tot libros scripturæ sanctæ, tot quotidianas consolationes & conciones nos habemus, & adhuc Deo nõ satis confidimus. Nostræ amplissimæ diuitiæ in Christo, & tanta uerbi diuini opulentia possent magnum mare dici, præ una guttula & stilla quam ipsi habent. Quid enim possunt ha-

I N I O N A M

bere Ethnici, quàm illā particulam diuini uerbi, seu legis naturæ, Deus est conditor cæli & terræ, & uerus Deus, id est, bonus & misericors est. Hac tantilla guttula pro nostro mari, hac scintilla præ nostra ingenti luce norunt sic felicissime & commodissime uti, ut non mirum si pudeat nos & pœniteat nostri, qui nostra incomparabili abundantia, & opibus amplissimis Verbi Dei uix aliqua ex parte tam commode utimur. Ideo & Christus ipse tantus doctor, Matth. 12. & Iudæis & nobis gentibus hos Niniuitas, qui nostrā ignauiam obiurgent, obijcit. Surgent, inquit, Niniuitæ in generatione hac & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ prophetæ, & ecce plusquàm Iona hic. Addit ergo tanto nos excellentius quiddā habere Niniuitis, quāto Christus Iona est maior. Merito tam acriter obiurgamur, qui ne aliquam partē quidem assequimur eius ardoris, nos, qui tam multis promissionibus et minis excitari debebamus, ubi Niniuitæ sine ulla promissione, tantum ad comminantis Ionæ uerbū crediderint. Sed quid facias, sic uiuitur, sic est uita: ubi non est copia diuini Verbi, ibi ardentissima est sitis Verbi: ubi abundātia, ibi fastidium & contemptus.

Et uidit Deus opera eorum, &

conuert

conuersi sunt de uia sua mala &c.

Hic hic nunc palam ebuccinantur opera. Quid hic afferemus? Hic scilicet hypocrite palam triumphant, sed pedetentim tamen. Agite boni uiri, respicite textum, dicit quidem, Deus respexit opera eorum, id est, placebant Deo opera eorum: sed qualia erant opera, ipse exponit, Conuertebatur à uis suis malis. Eiusmodi opera facite & docete, & nō modo feremus ut laudetis hæc opera, sed & nos laudabimus ut egregios fructus fidei. Conuerti à uis malis non tam leue opus est, nec tuarum uirū, neq; complectitur in se tantū saccos & ieiunia, sed ueram Dei cognitionem, fidem, id est, amorem Dei & proximi. Quando dicit Deus, Conuertimini à uis malis, non exigit unum aut alterum opusculū, sed exigit totum hominem, ut sancti simus corpore & spiritu, noua creatura. Deus enim uult totū hominem, non curat dimidiata opera hæc, & mendicæ Elementa mundi, aut ulla externa.

CAP. III.

Et afflictus est Ionas afflictione magna, & iratus est &c.

IN IONAM

Hic insigne quiddam & mirabile obserua in historia Ionæ, dic cuiusmodi sanctitas hæc est in Iona, qui hic stomachatur quòd Deus miseretur peccatorū, & uellet hic Ionas perdi peccatores cōtra charitatis legem, quæ etiam hostibus bene precatur, & benefacit? Et quod uehementer mirari possis, hoc facit Ionas, post acerrimum hunc agonē mortis, quo (ni fallor) probe admonitus est, quid fieri uelit Deus, nisi forsā leuis monitio est tē pestas hæc maxima in mari, tempestas nō minor in corde Ionæ, & horribilis ac triduanus carcer, non in turri, sed in immanis beluæ uentre. Et hic tamen irascitur ille sic castigatus Ionas, imò denuo obiurgatus quòd stulte irascetur, adhuc non desinit. Et tamen simul ea fides est in Iona, ut optet mori, & mortem ipsi utæ ducat præferendam, quod nō posset eo modo optare, nisi Deo summa fidei constantia esset confisus, planè proiectus in Deum. Quid hic dicemus, quomodo tam cōstans & fides et eiusmodi impietas se compatiuntur? Hæc quæstio digna est quæ excutiatur. Inficiari enim non possumus Ionam non merito irasci, cum Deus obiurget non tantum uerbis, sed factis, signo uitæ albæ. Ad hæc fate ri cogimur Ionam nihilominus credidisse, & gratū fuisse Deo, cum Deus tam familiariter & paterne loquitur, datq; ei signum, & per omnia familiariter cum

ter cum eo agit, ut amicus amico. Et ut maxime omnia possent condonari Ionæ, tamen hoc uidetur plane non ferendum & intolerabile flagitiū, quod suā illam priorē inobedientiam & fugam, propter quā tam grauius est à Deo castigatus, uult excusare, & culpam imputare Dei bonitati. Ach Domine, inquit, hoc sciebam, quod & dicebā cum adhuc essem in terra mea, ideo & præueni, fugiēs ad mare &c. Quod enim hoc aliud est, quàm ac si dicat Ionas, Re Æte recte inquam, feci, quod fugi & nolui prædicare Niniuitis, & si qua culpa est, non mea est, sed tue bonitatis. Non ergo hic nos iterum obiurgamus merito Ionam, tu quis es qui insultas, qui resistis Deo? nõne hic uidetur Ionas quærere suum exitiū, nõne promereri, ut non uno naufragio, non uno mari terreatur & mergatur, utq; non unius beluæ dentibus commolitus & cõmansus, discat non blasphemare, utpote qui remurmurat Deo, quod tam prolixè in misericors est beneficus? Si hoc non Ionas, sed Saul aut Absolon fecissent, quid putas abstulisset premij? Si nunc meriti ullius aut demeriti respectus esset apud Deum, ad hunc Ionam puniendū unus infernus non satis esset, ut qui sic stomachatus impotentè, non modo contra fidem, charitatem peccat, sed & Deo durissima ceruice resistit & responsat. Conqueritur bonitatem Dei nimiam esse, inuidet

I N I O N A M

proximo salutem & gratiam, hæccine opera bona sunt? Quæso te quid est impietas, si hæc non est impietas? penè non habeo hic quod respondeã. At primum hic obserua, Deum esse admirandũ in suis sanctis, ne facile aliquem propter aliquod opus damnemus aut iudicemus. Fieri potest ut opus malum sit, & tamen persona non sit damnanda. Nam si hic respiciamus Ionam, tunc opus eius uere est impiũ, & Deus reprehendit hanc eius iram, & tamen nihilominus Ionas est dilectus filius, & loquitur hic cum Deo, quasi non reformidans (ut etiã non formidat amplius seruiliter) sed confidit ei ut patri. Secundo, ut discamus quomodo Deus finit suos filios & sanctos nonnunq̃ grauius labi & errare, ut Christus etiam Apostolos, ad consolationẽ omnibus credentibus, quã & ipsi errare possunt et labi. Tertio, ut uideamus quã amãter, paterne, & suauiter tractat Deus suos electos, unde expectant in tentationibus quã dulciter etiam afficiuntur erga patrem post castigationem: quemadmodum in Epistola ad Hebræ. dicitur, Omnis castigatio initio uidetur esse mœroris, postea exercitatis dulcissimos fructus affert iusticiæ &c. Nam hic uides Ionæ erratũ hoc non imputari, quod tamen reuera peccatum est, sed ad hanc Ionæ imbecillitatem conuiuet Deus, haud aliter, ac si pater ignoscat filiolo. Cum incredulis autem

autem & impijs non sic agit Deus. Illi etiam nescirent uti hac diuina indulgentia, sed abutentes bonitate fierent securiores, putantes Deo impietatem probari. Verum Ionam non admodum equum esse gentibus, non est mirum. Nam persuasio erat hæc publica apud Iudæos, tantum Israelitas esse populum Dei, ut supra dixi, & gentes esse sub ira Dei, ut Psalmus 78. sonat, Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt. Ideo hoc obstinate defensum uolebant, nullum hominem consequi salutem, nisi qui primum iuxta Mosi ritum circumciscus esset, & inuis receptus esset Iudaicum. Ideo & Apostoli ipsi, & sub initia Ecclesiæ, Christiani omnes hoc persuasissimum habebant, quemadmodum in Act. 8. scribit, quòd scilicet prædicabant Euangelium, & gratiam hanc solis Iudæis. Et indignabantur Petro, & gentibus prædicarat, in Act. 10. & 11. Et non est dissimile ueri Ionam, aut persecutionem passum, aut occisum esse, quòd Niniuitis prædicauit, & Niniueni ciuitatem Dei nominarit. Non ferre enim poterant nec aures nec oculi Iudæorū ut quicquàm tale, si uel unus homo diceretur esse Dei, taceo tota aliqua urbs uel regnum, nisi seruaret legem Mosi, & tamen Niniuite hic palam, ut timentes Deum, & ciuitas Dei proclamantur à Iona. Sic & nostro seculo uidemus, in quas non cruces illi rapiuntur, qui uel

I N I O N A M

hiscere audent, iam usquam alibi esse posse Christia-
 nos, quam sub Romana Ecclesia, & de Papatu, q̄
 acris contentio? Quot insontes eo nomine exstet-
 sunt? Et fieri potest, ut haec sit una & uera causa,
 quare Ionas non uoluit praedicare Niniuitis, & re-
 murmurat q̄ non subuertitur, malletq̄; mori quam
 uidere ullum hominem recipi in gratiam, fieri po-
 pulum Dei sine lege Mosi & ritibus Iudaicis. Quid
 enim uniuerso nomini Israelitico possit esse contu-
 meliosius, quam Legem Mosaicam, omnes ipsorū
 ritus ut superuacuos negligi, & gentes Idolola-
 tricas, quæ extra temp. Israelis sunt, nominari po-
 pulum Dei. Haud dubie dicturi erant Iudæi, quid
 ergo nos Iudæi defatigamur tanto labore ceremo-
 niarū legis, quid nos circumcidimur, si ultimi equa-
 lem mercedem accipiunt cum primis, adeoq̄; nobis-
 scum, qui portamus pondus diei et aestū. Quid præ-
 rogatiuæ est nobis? quid præstamus Iudæi gētibus,
 si æquamur per omnia? & planè hic fieret ut Euan-
 gelica parabola habet. Nam Niniuitæ sine lege &
 prophetis hic tandem æquantur Iudæis, participes
 facti gratiæ, & Iudæi nihil plus accipiunt: imò tan-
 dem prorsus reijciuntur, cum patrifamilias remur-
 murent, uilipendentes Euangelium, & inuidentes
 gentibus gratiam Christi. Hoc igitur Ionam reddi-
 dit tam difficilem, ut qui istarum rerum suis concu-
 ribus

quibus in urbe Niniue primus auctor futurus esset,
 & totum Iudaismū contemptiorem redditurus. Ex
 hoc quid aliud habebat expectare, quàm exilium?
 Non sine caussa igitur fugit Ionas, & detrectauit
 prædicandi munus. Nam esse Iudæum, & palàm ni-
 hilominus docere Iudaismum non esse necessariū ad
 salutem, quid hoc est aliud, quàm contra propriam
 Legem Mosi, & totam gentem docere, & gentes
 exaltare ac æquare Iudæis? Quemadmodū & Pau-
 lo obijciebant Iudæi in simili causa, in Act. ut Lucas
 describit. Ut igitur Ionæ inardescēs sedaretur ira-
 cundia, utq; haberet quod frementibus suis Iudæis
 responderet, Deus paterne ludens cum illo, dat ei
 signum, quemadmodum & Petro in Actis 10. cum
 Apostolus ibi in simili esset persuasione &c. demit-
 tit ibi illi lintheum quoddam omnis generis animan-
 tibus, refertum, auditq; Petrus uocem omnia munda
 esse, cum tamen in uniuersum gentiles essent, non
 habentes legem Mosi &c. Sic Deus hic Ionæ dat
 signum, & fecit una nocte crescere uitam albam, ut
 Ionas amœnissimū haberet tuguriolum. Cum nunc
 admodum delectabatur suo tugurio misit Deus uer-
 mem mane, cum Ionas minime cogitaret, qui arbu-
 sculā arrosit ut aresceret, & sic Ionā subito priua-
 uit suis delicijs. Adhæc solis radij caput eius urunt,
 cum iam non haberet umbraculum, iterum igitur

IN IONAM

hoc perturbat Ionam, et molestia accedit molestia, ubi aliter cadunt, atq; Ionas cogitat omnia. Ideo iterum optat mori, ut tandem excuteret molestiam, ibi nunc loquitur ei Deus, & ut paterfamilias in Evangelio dicit ad eum, Nunquid potestatem habeo faciendi de meo quod uolo, & ostendit ei quod stulte irascatur. Tu irasceris, inquit, propter arbusculam quae exaruit, quanto praestantior autem uel unus homo est hac arbuscula, ut taceam de tota urbe? Nonne longe uehementius optare debebas, ut tanta multitudo hominum maneret, tot uiri, tot foeminae, ille flos iuuentutis, tot puellae, tot infantes in cunis, quid praeter illis Iona tua folia sunt? tuus uirens ramusculus? Quomodo hic non obmutesceret Ionas? quomodo non pudesceret, sua ipsius sententia captus et conuictus, quo syllogismo pulchre implicitus haeret antequam praevideat, adeo nihil est omnis humana sapientia praeter diuinam. De illa uite alba quae Hebraice κικ, siue κικεον dicta est, scriptores uarie disputarunt, ueteres cucurbitam intellexerunt, postea sanctus Hieronymus reddit haedra, quae est Ephraim, & dicit non in Italia, sed in Syria nasci, esse autem arbusculam, quae repetere excrescat & luxuriet densitate quadam foliorum, adeo ut pampinorum in morem facile umbraculum inde contexi possit, unde ueteres forsitan cucurbitam reddiderunt. Ego autem opinor canis

nor eam esse arbusculam, quæ à Physicis uitis alba dicitur, Germanice wild ruben. Noster Iohanes Pomeranus putat apud suos pomeranos Germanice uocari heilige vurtzel, quòd etiam sic luxuriet & abundet folijs, & late serpendo fastigia ædium occupat. Ephau autem, de quo Hieronymus, esse non poterit, sicut & ipse fatetur, cum Ephau seu hædera, non caudice nixa sit, ut kikeon, sed per muros & arbores complexa ramos serpit ubicunque inhæserit. Ideo uiciniores uero uidentur esse qui cucurbitam reddiderūt, quàm hæderam: quàmuis Hieronymus eos exagitet, cucurbitarios eos uocans.

Non magni refert autē utro uocabulo utamur, neque est ut de nomine contēdamus, si de re constet. Hoc quidem uerum est, quanquàm eius arbusculæ ea natura sit, ut subito crescat, tamen miraculo hic una nocte in tantam excreuit syluulam propter Ionā, & Ionas diu sedit sub hoc umbraculo, forsantoties his quadraginta diebus. Nam textus dicit quòd exierit urbem, cum uideret Niniuitas conuerti, & sedit è regione urbis ut uideret an urbs euerteretur. Male enim habebat hoc Ionam, quòd uidebat eos poenitentiam agere, & iam tum metuebat fore, ut Ninie non subuerteretur. At post 40. dies, cum iam uideret præscriptum illud tempus lapsum esse, ibi primum incipit stomachari, prophetiam nõ ex-

I N I O N A M

peccatum habere euentum, ibi remurmurat Deo, et tamen humiliatus & pudefactus cogitur redire domum, non tamen sine magno profectu & eruditione uoluntatis Dei. Ex illo discimus Deum esse saluatorem omnium hominum, non tantum Iudeorum, quemadmodum Paulus 1. Timoth. 2. dicit, Deus uult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis peruenire. Deinde discimus, nobis gentibus qui ultimam hora undecima uenimus in uineam, & nihil laborauimus plane gratuito & indignis obtingere gratiam, cum ea nobis non sit promissa, ut Iudeis. Utinam grati essemus, eaque sic gratuito donata, uteremur ad salutem, quemadmodum hic Niniuitae fecerunt, ne postea ingratitude graues daremus poenas, ut Niniuitae postea dederunt. Nam haec historia Ione ideo scripta est ut ostendantur nobis Dei mirabilia opera, nempe Verbum Dei ibi maxime afferre fructum, ubi minime putamus. Econtra, ibi minime fructificare, ubi maxime speramus. Nam hic adeo credunt Idololatrae gentes Niniuitae, non habentes ullas promissiones nec Verbum Dei. Econtra Iudaei non credunt, quibus datae erant promissiones: non desperemus ergo de ullius hominis salute, nec etiam ulli nimum tribuamus.

Hic dicit propheta, in Niniue fuisse plusquam centum & uiginti millia hominum, ex quibus uerbis conijcere

conijcere possumus urbis magnitudinem. Nam cum exprimit centum & uiginti millia, aliquid etiã adijciens, satis indicat quòd in ea urbe centum & triginta millia hominum non fuerūt, aliàs clare dixisset ultra centenarium, plusquàm triginta milia aut ducentena millia. Constat autẽ eam urbem non usq; adeo prodigiosæ magnitudinis esse, in qua ducenta sint hominum millia, præsertim si floreat, ut hic Niue regia urbs fuit, et metropolis in toto regno Assyriorum, nisi uelimus ita intelligere hic textum, eorum hominum qui non cognouerunt dexterum, aut sinistrum tantã fuisse multitudinẽ, quales sunt pueri aut fatui, adultorũ uero & senum longẽ fuisse maiorem numerum. Ego autem hanc interpretationem non sequor, sed illos in uniuersum omnes non cognouisse quid dextrũ aut sinistrũ esset, quem admodum nos dicimus pro nostro Germanismo, Sy yuusten vueder dis noch das, neq; hoc neq; illud cognitum habebant in rebus diuinis, utpote qui expectes erant legis Mosi & prophetarum quibus erudirentur, quomodo & interne & externe, tum in spiritualibus tum etiã corporalibus, se coram Deo gererent. Sic enim more scripturæ intelligi potest dextera pro internarum & spiritualium rerũ cognitione. Sinistra, pro cognitione corporaliũ & eternarum. Deo enim seruiendũ est corpore & spi-

I N I O N A M

ritu. Sed de his nunc satis, nunc Ione historiam per allegorias tractabimus, quarum tres esse inuenies.

P R I M A

Ionas Hebraice significat columbam, nunc in nouo testamento scimus in columbæ specie aduenisse & missum esse spiritum sanctum, Lucæ 3. & Iohannis 2. & in primis manifesta reuelatio spiritus quæ facta est ad ebuccinandum Euangelium in toto mundo, & nomen Iesu Christi. Sic ut Ionas hic suo uocabulo, typus sit spiritus & officij ac ministerij quod in mundo obit, spiritus nempe Euangelij. Nam omnes Apostoli & ministri Verbi, debent esse Ione et columbæ, id est, habere spiritum ut nihil ex sese, sed omnia ex spiritu sancto doceant & faciant, quem admodum & Christus Matth. 10. discipulis suis iniungit, Estote, inquit, prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ, id est, prædicate Verbum Dei pure & simpliciter, nihil addentes, ut suggerit spiritus uobis, & circumspecte ambulantes, neminem tamen malis artibus tractantes. Niniue sonat Hebræis pulchrum aut formosum, quemadmodum urbs splendidis ædificijs ornata, formosa est. Atq; ea est typus mundi, opibus, uoluptatibus, sapientia, honoribus, & hypocritica sanctitate florentis. Sed hæc tota species nihil est, quam abominatio coram Deo. Quod autem hæc Niniue audit Verbum, & induta

Et induta saccis, sedens in cinere, agit poenitentiam,
 indicatur quid operetur et agat Verbum Dei in mun-
 do. Per Verbum haec omnia euertuntur, ut homines
 de sua iusticia, robore, opibus, breuiter omnibus hu-
 manis desperantes. Contemptis uoluptatibus et ho-
 noribus omnibus mundi, agnoscant suum peccatum,
 infirmitatem, miseriam, ut pudeant coram Deo,
 ingenuè se profitentes miseros et peccatores. Hoc
 est uere sedere in cinere, saccis indui, et ieiunare.
 Ibi etiam iumentis indicitur ieiunium, id est, corpo-
 ra sua ibi castigant homines, et in seruitutem redi-
 gunt etc. Quod autem Ionas à Iudaea mittitur in ter-
 ram longinquam, innuitur spiritum et Verbum Dei
 auferendum esse à Iudaeis, et dandum gentibus, quae-
 admodum Christus Matth. 22. dicit, Amen dico uo-
 bis, auferetur à uobis regnum, et dabitur genti fa-
 cienti fructus eius etc. Quod autem Ionas ad ma-
 re fugit, et tot ac tantis periculis exercetur, cru-
 cem et afflictiones significat, quibus Euangelium in
 mundo undiq; premitur. Semper ministerium Ver-
 bi uidetur imbecille, et fugienti simile, solentq; ini-
 tio omnia apparere desperata, quasi iam ruitura.
 Nihil infirmius, nihil stultius uidetur esse Euange-
 lio, eo quod cõcionatores et Apostoli tales sunt fu-
 gitiui, id est, imbecilles, et contempti homines.
 Mare, id est, mundus ille ut est potētissimus, ita ubiq;

firmiter & insanit. Cetus autem est horribilis, & suo
 immani rictu & dentibus illis trabali magnitudine,
 hoc est, Sathan terribilis est & formidabilis, & mi-
 natur, infrendens suis dentibus, id est, insultat pijs
 potentia Regum, principū, nusquam non in pericu-
 lum & cædem intentans. Sed tamen Ionas mirabi-
 liter seruatur diuina potētia: & Verbi cursus, neq;
 fuga Ions, neq; tempestatum ac maris sauitia po-
 test impediri. Sed omnibus periculis superatis per-
 rumpit, tandem peruenit Ninue. Ita etiā, licet mi-
 nistri Verbi per omnia uideantur infirmi, uiles, &
 contempti, mundus ubiq; in præcellenti splendore
 & potentia, tamen Dei Verbum & Euangeliū, est
 contra hæc omnia inuictū & longè potentius. Pro-
 inde si semel in uniuersum omnes possent occidi, et
 quasi absorberi concionatores, tamen idipsum tan-
 tum uires adderet Euangelio, tamen eo concita-
 tior & fortior futurus esset cursus Verbi, sciscita-
 tis alijs, & sic pudesacta omni sapientia & iusticia
 mundi, ut uidemus in Apostolis accidisse. Hæc ad
 nostram consolationē scripta sunt, ut nec nos terre
 amur huius maris tempestatibus, & huius tanti ce-
 ti rictu, certi fore, ut nostram quoq; Verbum foelici-
 ter uincat, & nostrum Euangeliū potentius sit his
 omnibus.

S E C V N D A.

Altera est de spiritali persecucione, quomodo
 agatur

igitur cum peccatore, quando spiritualiter mori-
 tur & uiuificatur, id est, quando est iustificandus et
 à peccato liberandus &c. Primum enim inest no-
 bis peccatum, quod cognatum est nobis per inobe-
 dientiam Adæ, quod & nos nostra inobedientia et
 sceleribus uarijs impiæ uitæ auximus, & sic subin-
 de fugimus à facie Dei, non obediētes uoluntati et
 imperio Dei. Hoc peccatum tunc primum ingraue-
 scit, quādo à Verbo Dei delabimur in hypocrisim,
 & uarios cultus, & impietate cordis externa san-
 ctitate fucamus. Hæc enim inobedientia est fuga lo-
 ne à facie Dei. Interim quod non sumus resati, sed
 adhuc ueteris Adæ, nulla est in nobis cognitio Dei,
 sed longè absumus à Deo, haud aliter atq; filius ille
 parum frugi in Euangelio. Quod autem Ionas fu-
 git ad mare, & ad nullum certum locum, signifi-
 cat peccatorem cum à Deo profugit, & sine Deo
 est, nullæ certitudinē usquā posse inniti, sed uehi et
 ferri iuxta mundi & carnis desyderia: quocunquē
 enim Sathan impellit & aufert, neq; scire aut cogi-
 tare tunc cæcum quo auferatur, sed tantum inhiare
 fugæ, & reiecta obediētia Dei, sui animi somnia,
 & bonas intentiones sequi. Descendit uero Iapho,
 inuenit nauim paratam, numerat ilico nauulum, cor-
 scendit, cōsopitur in nauī, et sic dormiēs auertitur.
 Iapho Hebræis sonat pulchrum, formosum, hic uis

piorum est cœtus et congregatio eorum, qui sanctã
 uitam simulant tantum, & non timent Deum. Hic
 est locus aptus inobedienciæ & electiciæ sanctita-
 ti. Nam ibi inuenit nauim paratam, id est, hypocri-
 ta inuenit modum & formam uitæ, quæ sibi uidetur
 esse idonea ad salutem, qua possit recte duci, ut est
 lex Dei iuxta humanam opinionem intellecta. Ibi
 inuenit nautas, id est, doctores talis humanæ iusti-
 ciæ & operum legis, illi abducunt eum, dubium &
 incertum quo ducatur, sed tantum in mediũ mare.
 Nam in talibus hypocritis non sunt conscientie cer-
 te aut firmatæ Verbo Dei, sed circumferuntur quo-
 uis uento doctrine. Illis Ionas persoluit nauulum.
 Nam tales doctores sunt animalia uêtris, omnia ha-
 bentes in quæstu, turpis lucri gratia facientes om-
 nia, & illis nemo non libenter numerat, illi ditantur.
 Nam & Deus populo Israel ut mercenario
 & populo legis ac operum, terram Canaan, & re-
 liqua corporalia dedit. Apostolis autem & Euan-
 gelistis nihil datur, sed suorum bonorũ rapinas su-
 stinere coguntur. Hanc nunc nauim conscendit Iona-
 nas, hoc est, hanc doctrinam audit, iacetq; ibi, stertit,
 id est, securus est, & putat secum bene agi, atq;
 sic consopitus, ipse sese non sentiens, uehitur. Sic
 enim sunt securi omnes iusticiarij, qui suæ hypocri-
 sis tam profundo somno consopiti stertunt, ut non
 sentiant

sentiant peccatum suum, ut Salomon dicit Ecclesi.
 Obedientia melior quam uictima impiorum, qui igno-
 rant quantum mali faciant. Ecce hoc est in Iapho,
 & in ima nauis descendere, hoc est, è sublimi &
 editiori Hierusalē, id est, ex Dei obedientia descen-
 dere in formosam Iapho, id est, speciosam hypocri-
 sim bonæ intentionis, & humanæ ac propriæ opini-
 onis. Ibi nunc superuenit Deus, & repente hūc san-
 ctum inobedientem excitans, eius peccatum patefa-
 cturus, ut tota illius sanctitas pudefiat, immittit tem-
 pestatē, id est, sensu iræ & horribilis iudicij diui-
 ni reddit perterritū. Ibi omnis fiducia propriæ san-
 ctitatis & iusticiæ euanescit in morem fumi, ibi de-
 sperant naucleri simul, & qui uehuntur, id est, do-
 ctores & discipuli ibi primū sentiunt opera, nō con-
 sistere coram uultu Dei, ibi subitus naufragij me-
 tus omnes semel attonitos, paucos exanimari et
 albescere facit. Ibi quilibet inuocat Deū suū, id est,
 bonorum utcunq; suorum operū iusticia nitens, con-
 solationem querit. At nullum illorū Idolorum au-
 dit; nam omnes uerū Deū ignorant, ibi excitant Io-
 nam, ibi primum fiunt ueri doctores legis, lex suo
 uero fungitur officio, non docens amplius externā
 iusticiam, quæ per opera est, sed ostendens peccatū
 & iram Dei, & perterrefaciens conscientiam. Et
 hoc sibi uult etiam missio fortis, qua queritur pec-

IN IONAM

eatum, & tandem inuenitur reus Ionas. Nam lex à
 querenda & urgēda conscientia nō desinit, donec
 peccatores inuenerit, et ad confitendum peccatum
 perpulerit, ut Dauid Psal. 37. dicit, Cum tacui inue-
 terauerunt ossa mea. Hęc autem subita sortis alea
 indicat, quòd repēte cum minime putamus Deus se-
 pe ferit & percutit corda sensu legis & peccati.
 Non igitur cum nos præcogitamus, sed quādo oma-
 niū minime putamus, supuenit paterfamilias &c.
 & inuenit nos alios quàm uellemus.

Ibi Ionas nunc cogitur agnoscere peccatum, &
 ad legis accusationē reum se fatetur, aliās non ces-
 sat tempestas. Quāquā autē summo & maximo
 conatu remis incumbūt, ut appellant ad littus, tamē
 nihil efficiunt, hoc est, talis cōscientia licet conuicta
 fit, tamen adhuc eluctari cuperet, & effugere mor-
 tis sententiā, licet iam ipsa in se acceperit mortis
 responsum, licet ipsa sese fateatur reā, ut uideat ine-
 uitabile iudiciū. Et hoc est q̄ Ionas nō hic ipse desili-
 endo se præcipitat, sed ab alijs è nauī proturbatur.

Tandem Ionam præcipitant in mare, cum aliter
 huic malo occurri non potest, suppliciter præcan-
 tur, ne Deus illis sanguinem innocentē imputet, &
 iam ualde timētes Deū, sacrificijs colunt Deū &c.
 Hoc est quod Paulus Rom. 7. dicit, Lex est bona, ius-
 ta, & sancta, et nihilominus mortificat, & irā ope-
 ratur.

ratur, facit ut irascat Deo, sentiam iratum Deum.
 Qua de re alio loco differetur latius. Quod autem
 Deū timent & colunt, indicatur legem, quādo suo
 uero fungitur officio, esse Dei diaconiam ad mortifi-
 candum & humiliandum, quæ antea cum adhuc es-
 set in iapho tantū, id est, in speciosa hypocrisi opo-
 rum & iusticia humana, seruiebat uentri, accipi-
 ebat nauulum, & tantū faciebat securos stertentes,
 & pœnitere nescios hypocritas.

Hic uero horrendus ille cetus nunc adest, deuorans
 Ionam, id est, mors & infernus sequitur. Nam
 is est ordo harum rerum: primū lex, deinde per le-
 gem peccatum, peccatū autem consequitur mors,
 ut Paulus 1. Corinth. 15. dicit, Lex est potentia pec-
 cati, peccati autē stimulus mors est. Hoc est, si con-
 scientiæ essent sine peccato, mors eas non posset le-
 taliter uulnerare, nec discruciare, sed planè inermis
 hebetata cuspide ac sine stimulo esset. Cum au-
 tem peccatum sentiur in conscientia, mox suis le-
 talibus telis mors instructa & armata, ream adori-
 tur & inuadit conscientiam, uultq; hominem truci-
 cidare, et trucidat æterno homicidio, nisi gratiæ ad-
 sit auxilium. Sic etiam si lex nulla esset, id est, si ea
 lex non esset quæ fungeretur suo uero officio, ibi e-
 tiam nullum esset peccatū, id est, peccatū non senti-
 retur, esset inefficax & quasi inermis: sic fit quādo

tales Ionæ, id est, tales iusticiarij securi in nauis con-
 sopiti stertunt. Quemadmodum etiam in natura ha-
 bet, ubi non est lex, ibi nullum peccatum est. Quan-
 do autem lex uenit, mox adest etiam peccatum, sen-
 titurq; in consciëntia. Quàm nunc horribilis aspectu
 fuit Ionæ inmanis rictus illius beluæ, tam horribi-
 les sunt minæ & terrores mortis, conterritæ, &
 peccatrici consciëntiæ. Ibi nunc Ionas per tres dies
 & tres noctes moritur in uentre ceti, id est, pecca-
 tor in tãtis angustijs, terroribus & pauoribus mor-
 tis luctatur, tamdiu donec desperet. Nam intra tri-
 duum spaciū facile dijudicari potest, num quis effla-
 rit animam. Nam qui in tertium diem mortuus iac-
 cet, illum expirasse certum est, etiamsi toto triduo
 non iacuerit, hoc est, quando per unū diem & inte-
 gram noctem iacuerit, nulla spes est uitæ. Nam ille
 aliquid præcedentis & insequētis diei attigisse po-
 test, ut triduo mortuus iacuisse uere dicatur. Hoc
 triduum autem, re potius, quàm spacio temporis in
 spiritali hac morte, & in eiusmodi scilicet tentati-
 onibus longum est, nam ictu oculi fieri potest, ut et
 magnitudo, & tantus tentationum impetus adigat
 ad desperationem. Mox superuenit post tantã mor-
 tem uiuum Verbum Dei, id est, Euangeliū gratiæ:
 & dicit pisci, id est, mandat morti, ne hominem per-
 dat. Ibi tum erumpit quasi è fumo flamma fidei, &
 liberatur

liberatur homo simul à peccato & à morte, uiuítq; hilari & erecta cōscientia, in gratia & iusticia Christi. Atq; hic primum Ionas Psalmū præ cordis abundantia cruciat, In uoce laudis immolabo tibi. Et mēro affectu obiurgat eorum insaniam, qui relicta misericordia, in uanitate confidunt. Nam homines sic tentati, sic quasi camino probati experiuntur uere quā excellens sit potentia & efficacia, quā magna amplitudo gratiæ fidei, & quā præ illa omnia nostra opera & merita, totaq; iusticia legis, nihil sint quā uanitas. Ex eiusmodi hominib. postea fiunt uere Theodidacti, & potentes magistri in Ecclesijs, qui maximo fructu possint docere & gubernare Ecclesias, cum non tantum ex libris sapiant, sed simul ex spiritu & experientia. Illorū uoces & uerba uiua sunt, potentia, & penetrātia, ut hic Ionæ uerbum ad Niniuitas indicat.

TERTIA.

Tertiam Christus ipse de se exposuit, Matth. 12. Quanquā non per omnia allegoria sit, sed potius parabola & similitudo. Nam Christus tantū eam partem historiae attigit, quæ de mansione in ceto loquitur. Sicut Ionas, inquit, fuit tribus diebus & tribus noctibus in uentre ceti: ita filius hominis erit in corde terræ, & uocat signū Ionæ, id est signū quod Ionæ simile sit. Hoc triduum autem non exponit al

IN IONAM

legoricōs, quemadmodū aliās in allegorijs solet fieri. Ideo similitudo potius est quā allegoria, & nemo auderet sic interpretari, nisi Christus ipse sic exposuisset. Verum de hoc non est ut hic differamus copiosius. Cum historia Christi toto orbe divulgata sit, quomodo mortuus sit, et resurrexit tertio die, & quomodo signum illud magnum sit, datum incredulis Iudæis, imò toti mundo propositū, per Euangeliū, ut sciant quomodo omnes per hoc signum & mirabile opus Dei, redempti sint, ut uerbum hoc signi huius & resurrectionis Christi apprehendatur uera fide. Offenditur autē totus mundus hoc signo, in primis Iudæi, & est eis scandalū atq; stultitia. Sed tamen hoc signum manet in æternum, nec datur eis aliud ut uellēt. Nam immota manet uox illa Christi, Generationi huic prauæ & adulteræ, non dabitur aliud signum, nisi signū Ionæ prophetæ, de quo & alibi diximus.

Vltimo restat allegoria hæc uitæ albæ, & uermiculus uastator amœnissimi umbraculi sub aurora &c. Hæc pars historiæ non tantum de cogitationibus stomachantis Ionæ exponenda est, sed & ualde quadrat ad Iudaismum, qui non inepte comparatur uitæ albæ. Primū enim uitæ albæ lata folia habet, adeoq; tota nihil aliud est quā syluula densa foliorum, apta ad concinnandū tabernaculum, quo

Ionas cōtra solares radios defendatur. At nulla hic
 mentio fit fructus, folijs tantum illa arbuscula luxu-
 riat, ex pers fructus. Ea folia sunt lex Dei, sicut Pau-
 lus dicit Roman. tertio. Concredita sunt illis elo-
 quia Dei, &c. Sub horum foliorum textili taberna-
 culo sedet Ionas, id est, propheta & sancti patres
 sub Iudaismo fuerunt, & sub illa pædagogia legis,
 & uariarum cæremoniarum, ut sub temporali ta-
 bernaculo usque ad Christum. Nam ille cultus, illæ
 cæremoniæ, nihil erant quàm tabernaculū, ad æsta-
 tem tantum, quod non erat duraturum, nec fructus
 allaturū ullos. Nam opera legis sine spiritu neminē
 iustificabant, quanq̄ etiam tempore legis multi erāt
 in Israel fide promissionū et spiritu uere iustificati,
 & non inscij libertatis. Ideo & Christus ficum fo-
 lijs luxuriantem, fructibus tamē carentem, execra-
 tur ut areseat, quod totum omnino similitum est
 huic uiti albæ. Sed tamen Ionas nihilominus gaudet
 de hoc tabernaculo, & confidenter expectat Nini-
 uitarum & urbis euersionem. Nam mirè hoc titi-
 labat Iudeos, quod soli haberent legem & prophe-
 tas, cæremonias & cultum, ducebant gentes esse
 abominationem, ut hic Ionas Ninuitas. Cum uero
 iam maxime sibi in hac re fidunt Iudæi, & maxime
 gloriātur se solos esse populū Dei, & cum iam uni-
 ce delectatur ille Ionas suæ albæ uitis umbraculo,

immittit Deus uermiculū, qui uno ictu totam illam
 amoenitatē uastat, hoc est Christus, cum Iud. ei maxi
 me pharisaico fastu inflati, ualde gloriarētur se so
 los esse populum Dei, uenit Christus cum suo Euan
 gelio, & quasi denticulo percussit uitem albam, id
 est, prædicauit contra iusticiam legis, & abroga
 uit totam legem, per spiritum sanctum, omnesq; li
 beros reddidit à lege & potentia, ac maledictione
 legis. Hinc subito exaruit iudaismus in toto mun
 do usq; in hodiernum diem, omni flore exutus. Sic
 ut nullus Patriarcha aut propheta amplius sedeat
 sub umbra eius. Nam iudaismus finem habet, &
 Christus est uermiculus ille, ut Psalmus dicit uige
 simus primus, Ego sum uermis & non homo. Ver
 mis autem dicitur, quòd à mundo contēptus & cru
 cifixus sit. Quòd autem uermiculus non uesperis,
 sed mane sub auroram arrodit & uastat umbracu
 lum hoc, significat quòd ille casus Iudaismi factus
 est sub tempus gratiæ, iam exoriente in toto mun
 do Euangelij luce, & nouo testamento. Nam qui ui
 tem albam mirabiliter fecerat crescere, ille idē su
 bito immisso uermiculo, omnem eius florem perdis
 dit & decussit. Sic & res Iudaismi, & tota illa glo
 ria Israeliticæ gentis uarijs & magnificis Dei ope
 ribus inualescens mirabili Dei potētia, repente cre
 uit, neq; uiribus proprijs eò euasit, ut hoc historiæ
 etatis

etatis Mosi, & tempora Regum testantur &c. Vt
 nunc alba vitis exaruit, sic etiam cecidit (cum hora
 uenit Euangelij) totus Iudaismus. Hic nunc Ionas
 irascitur ex duabus grauius causis: primum quod
 alba vitis exarescit, & tam subito amittit suum um-
 braculū, deinde quod Niniue non subuertitur. Hæc
 autem indignissima res uidebatur esse etiam mul-
 tis magnis sanctis &c. quod reiectis & desertis Iu-
 dæis Niniuitæ, id est, Idololatæ gentes participes
 gratiæ, & populus Dei facti admitterentur ad E-
 uangelium. Atq; ibi radij solares sic urunt caput Io-
 næ, ut penè nimio æstu exanimatus concidat. Nam
 & Paulus Rom. 10. in tanto fuit dolore & angustia
 cordis (Iudæis sic pereuntibus) quod anathema es-
 se pro fratribus & uelit & cupijt. At Ionas respon-
 sum accipit, grauiorem & digniorem esse causam
 iræ, quod Niniue pereundum esset, quàm quod ui-
 lis arbuscula exaresceret, minus esse damni si hæc
 arbuscula exarescat, quàm ut tam populosa urbs
 subuertatur. Hoc est quod Paulus Rom. undecimo
 dicit, per lapsum Iudæorū salus contigit gentibus,
 hoc est, multo præstabat collabi Iudaismum, & il-
 lum cultum legis, qui tamen sine spiritu, tantū quæ-
 dam sylua foliorum est sine fructu, quàm ipso ma-
 nente, totum mundum perire. Sic stat Dei uolun-
 tas & sententia, & hoc etiam est iustum. Merito er-

IN IONAM COMMENT.

go nos gentes agimus pro incōparabili misericor-
dia. Nam in hac quidem tam sancta gratuita uoca-
tione nobis gentibus sita est salutis & omnis beati-
tudinis summa, & Iudæi si suo pharisaismo relicto
credant promissionibus, eadem salus & bene-
dictio contingit ut hæredibus, quam
det nobis omnibus IESVS
Christus. Amen.

FINIS.

Haganoæ, per Iohannem Seccerium.

Anno, M. D. XXX.

Mense Septembri.



1920 v87

1890
1891
1892
1893
1894
1895
1896
1897
1898
1899
1900
1901
1902
1903
1904
1905
1906
1907
1908
1909
1910
1911
1912
1913
1914
1915
1916
1917
1918
1919
1920
1921
1922
1923
1924
1925
1926
1927
1928
1929
1930
1931
1932
1933
1934
1935
1936
1937
1938
1939
1940
1941
1942
1943
1944
1945
1946
1947
1948
1949
1950
1951
1952
1953
1954
1955
1956
1957
1958
1959
1960
1961
1962
1963
1964
1965
1966
1967
1968
1969
1970
1971
1972
1973
1974
1975
1976
1977
1978
1979
1980
1981
1982
1983
1984
1985
1986
1987
1988
1989
1990
1991
1992
1993
1994
1995
1996
1997
1998
1999
2000
2001
2002
2003
2004
2005
2006
2007
2008
2009
2010
2011
2012
2013
2014
2015
2016
2017
2018
2019
2020

